

X 1880 632

II R
4840

B. h. II 167.

Adspirante Divino Numine.

h. 45, 13.

DISSERTATIO JURIDICA,

DE

PRIVATORUM,

PRINCIPUM

ac NOBILIUM TUTELIS,

Quam

Consensu

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

in illustri Salanâ

PRÆSIDE

DN. JOHANN. VOLK. Bechmann/

Hereditario in Obern-Trobra.

JCTO CELEBERRIMO, EXEMPTO IMP.

COMITE PALAT. CÆS. ET CIVE ROMANO, JURIS PUBL. CODIC. &c.

PP. CONSILIAR. SAXON. CURIÆ PROVINCIAL. AC SCABIN.

ASSESSORE GRAVISSIMO,

*Domino Patrono ac Promotore suo maximè
Venerando.*

Publico Eruditorum Examini submittit

JOACH. CHRISTOPH. Bombach/

Brand. Marchicus

Ad diem

Maji

M DC LXXXV.

JENÆ, Typis Bauhoferianis.

22



DE
PRAVATORUM

PRINCEPS

ACNOBILITATIBUS

MAGNITIC

DIJOHANNES

DOMINO

JOHANNES

LENA





I. N. F.

CAP. I.

§. 1.



Tutela, derivatur à tuendo, §. 2. *I. h. t.* hinc Tutores quasi Tutiores appellantur. Sumitur autem vocabulum hoc, vel pro quacunqve defensione, *l. 3. ff. de J. & J.* vel pro Jure Tutoris in Pupillum, §. 1. *Inst. de Tutel.* & sic ad Jus Personarum, vel pro Tutelæ administratione, *l. 23. ff. d. R. J.* & tunc ad quasi Contractum spectat, §. 2. *Inst. de Oblig. quæ ex qs. contr. nasc.*, vel pro Onere publico *l. ult. §. 1. ff. de mun. & honor.* Cum autem præmatura Parentum morte conditio Pupillorum, qui perfectæ ætatis non sunt, ut se ipsos regant, §. 6. *Inst. de Attil. Tutor.* quoad mores & bona paterna deterior fieri potest, hinc ductu Luminis Naturæ & communi Gentium consensu, *vid. Gwilb. Grot. c. 10. §. 11.* privatim Liberis suis Parentes prospiciunt (horum enim affectum nullus extraneus vincit, *l. ult. pr. C. de Curat. furios. & Prodig.*) de bono Cive ac idoneo morum formatore, qui eos dirigat, imò & Jus Civile, quod neque in totum à Naturali vel Gentium recedit, nec per omnia ei servit *l. 6. ff. de J. & J.* novam quasi formam superinducit, *argum. §. 1. Inst. h. t.* Sacer quoque Codex hujus rei mentionem facit, ipse enim DEUS Pupillorum Parentem se vocat, *Pf. 68. v. 6. Deutr. 10. v. 18.* & jussis ejus gravissimis obligantur, *Exod. 22. v. 22. Job. 24. v. 9.* Hesiodus quoque referente Magn. Schiltero *Praxi For. Roman. h. t.* Tutelæ violationem atrocioribus comparat criminibus, quibus DEUS irascatur & tandem gravem exhibeat talionem.

§. 2. Est autem Tutela vis & potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, Jure Civili data

& permiffa §. 1. *Inst. b. t.* Vis h. i. non denotat violentiam, fed vis & potestas in Jure sæpe Synonyma sunt *vid. l. 17. ff. de LL. l. 7. C. de Codic. §. 3. Inst. de Interdict.* imò & apud alios Autores, Terentium & Senecam, *consul. Dn. Strauch. Dissert. 5. §. 2. b. t. Ludw. Ex. 3. tb. 1. lit. a.* inquit: Vis denotat amicabilem defensionis & administrationis potestatem. *Franc. de Ameya observ. Jur. l. 1. c. 7. dicente Habnio ad Wesenbec. eod. tit. n. 3.* per vim ac potestatem denotari ait, magnam & efficacem Tutoris gubernationem, quæ fit veluti particula patriæ potestatis. Vis quoq; per Jus optimè explicari potest, quia Jus absque vi quasi campana sine pistillo, quasi causa sine effectu est.

§. 3. IN CAPITE LIBERO.] De quibus verbis inter DD. magna controversia est, ad Pupillum tamen referenda esse putamus, propter communem DD. opinionem. *Vid. Strauch. Diss. 5. aphor. 2. Brunnem. Exerc. 3. ad Inst. b. t. qui allegat l. 14. pr. ff. de Tutel. §. l. 6. §. ult. ff. eod. Schnobel. Dissert. 15. tb. 1. Habn. ad Wesenb. b. t. n. 4.* cujus verba hæc sunt: Licet in Tutore Tutela resideat, rectissime tamen fundamentum quasi Relationis spectandum, & definitio eo bene suppletur, ut habet *Time. Fab. anniv. Diss. 7. tb. 3. Conf. Gell. L. 5. c. 19.* ubi Pupillum appellat caput liberum fidei Tutorum commissum. *Ungep. Ex. 4. qu. 1. Magn. Struv. Ex. 31. n. 3. b. t.* Et quamvis quidam dicant, quod Tutela personam liberam requirat, & tamen, quod multi actus sint, qui non possint expediri à servis, interim in Definitione non ponantur, uti in Testamento fit, *l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* hoc enim per se notum est. Superfluum quoque esset Jus personarum in Tutel. delineatione exprimere, sed rectius fit mentio duarum personarum, uti in matrimonio. Caput liberum denotat eum, qui nec in potestate Patria, nec Dominica est *argum. pr. l. de bis qui sui l. alien. jur. sunt.* Quod autem Ablativus pro accusativo ponatur, illud fit secundum modum loquendi 12. Tabul. *vid. §. l. 32. ff. de liberal. causa. l. 4. §. 12. de Usurpat. §. Usucapion. l. 12. ff. qui testamentum facere possunt.* AD TUENDUM EUM.] Differentiam à patria potestate & Cura continet. Vis enim Tutelæ in tuendo personam & bona Pupilli vertitur. Patria potestas amplius sese extendit, quia Pater filios punire potest *l. 3. C. de patr. pot.* & in bonis eorum usum fructum habet, *tot. Tit. Inst. per qu. pers. cuiq; ac qu.* Cura autem versatur circa res *pr. Inst. de Curat. §. 4. eod.* Tutela
circa

circa personas §. 4. I. *Qui test. tut. dar. poss.* & per consequentiam circa res occupata est *l. 15. ff. de Testam. Tutel.* de qua *Lege Habm. ad Wesenbec. de Tutel. N. 4.* sic differit: Tutela non divisa est, sed administratio tantum, ut alius Tutor datus sit rei Africanæ, alius rei Syriacæ: cum enim illa tutelæ insit per consequentiam, rationis etiam est, ut dividi possit, & nihilominus hîc Tutores singuli personæ pupilli dati sunt in solidum. *Jung. & Bachov. ad §. 4. I. Qui test. tut. dar. poss.*

QVI PROPTER ÆTATEM] His verbis finis indigitatur, Tutores quasi tutores appellantur §. 2. *Inst. de Tutel.* Breviter in hac Definitione datur (I) SUBJECTUM DIRIGENS per verb. VIS ET POTESTAS: (II) SUBJECTUM DIRIGIBILE per hæc: CAPUT LIBERUM (III) FINIS. Per illa: QVI PROPTER ÆTATEM SE DEFENDERE NEQVIT. (IV) ORIGINEM per ea: J. C. DATA ET PERMISSA. Data, immediate scil. ex Lege, & vocatur Legitima, *pr. Inst. de leg. Agn. tut.* permissa, vel à Testatore, & dicitur Testamentaria, §. 3. *Inst. de Tut.* vel à Magistratu, & appellatur Dativa *pr. Inst. de Attil. Tut. &c.* Quare Tutela triplex est, Testam. Legit. & Dativ. An autem matris & aviæ tutela ad Legitimam referenda sit, aut quartam speciem constituat, D D. dissentiunt. *Ludw. in Exerc. Disp. 3. ad Inst. th. 2. lit. A.* dicit Legitimæ esse annumerandam, quam tamen sententiam infringit *l. ult. ff. de Tutel.* nisi quoad Jus Novell. illud intelligi velis *Nov. 118. c. 5.* Nobis tamen placet Eckolti opinio, quod priores tres ordinariæ argum. *l. 16. ff. de Tutel.* posteriores Extraordinariæ sint, *l. 1. & tot. tit. C. quando mul. offic. Tut. fung. pot.*

§. 4. Prima itaque Testamentaria est, (I) sperante enim hac reliquæ cessant, *l. 11. ff. de Tutel. Test.* (II) Ob favorem ultimæ Voluntatis, (III) Lex hanc Tutelam non potest dare, quia Parentes præsumuntur pro Liberis optimum consilium suscipere. Talis autem est §. 3. *J. de Tutel. quando Parentes Liberis Imperibus,* & sic quoque nepotibus, §. 5. *Inst. qui test. tut. dar. poss., filiis,* sic quoque posthumis §. 3. *cod.* hî nempe pro Natis habentur, si de eorum commodis agitur *l. 7. ff. de statu hom. nec in alterius potestatem recasuris,* tam institutis quam exhereditatis, *l. 4. ff. de Test. Tut. testamento,* vel Codicillis testamento confirmatis, *l. 3. ff. b. r.* tunc pars & sequela testamenti sunt, vel non confirmatis, aut alio imperfecto testamento, tunc à Magistratu confirmandus est. *l. 4. ff. l. 2. C. de conf. Tut.* etiam si à matre patro-

no aut extraneo hoc factum, modo à patre datus sine inquisitione, l. 4. ff. de Test. Tut. à reliquis cum inquisitione, h. e. in vitam, qualitatem, facultates; peritiam administrandi inquirendo l. 1. ff. de confirm. Tut. vel Curat. Tutorem constituunt, sive sit paterfamilias sive filius familias pr. I. qui test. tut. dar. poss. nam Tutela munus publicum est & filiusfamilias pro patre habetur l. 9. ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt, vel ante hered. institutionem §. 3. I. qui test. tut. dar. poss. scil. ratione scripturæ, non naturæ, vel sub conditione, §. eod. nec l. 77. ff. de R. J. obstat, nam illa loquitur de Dativa, non Testamentaria Tutela.

§. 5. Quæritur an Creditor Testamento Tutor datus manifestatione debiti neglecta, illud amittat? Resp. videndum est an sciverit hoc testator aut ignoraverit, si illud sciens fecit, fidem ejus approbasse censetur, secus Nov. 72. c. 1. locum habet. Disquiritur quoque an à Testatore inventarii confectio, & per consequens rationum redditio remitti possit? Resp. affirm. & quidem publica consignatio, ne vires patrimonii publicentur, non vero simpliciter, sed Testator sufficere existimat, si illa fiat in præsentia Cognatorum l. ult. C. de arbitr. Tutel. & sublato antecedente, tollitur & consequens l. 2. ff. de Jdicit. nam inventarium fundamentum est rationum reddendarum l. 24. C. de administr. Tutor. secus autem fit, si doli & fraudis arguitur. Quid autem statuendum est de Tutore Testamento, an legato ei dato sese excusare possit? Resp. Limitando, semper tutorem esse debere, nisi aliud luculenter appareat, nempe ob favorem Tutelæ & odium Excusationis vid. pluribus Magn. Schilt. Praxi for. Roman. de Excusat. Tutor. vel Curat.

§. 6. Quod hujus Tutelæ usum attinet, sciendum quod ejus nullum jus sit, sed modo consilium, in omnes enim Tutores hodie inquiri solet & quoad praxin cuncti dativi videntur, juxta ordinationem Politicam de Anno 1548.

§. 7. Hanc excipit Legitima, non quasi reliquæ illegitimæ sint, sed quia immediate ex LL. oritur, vid. Strauch. Dissert. 5. th. 10. & Eckolt. b. 1. §. 1. Quæ Tutore testamento non dato pr. Inst. de legit. agn. tutel. vel testamento facto, quoad tutelam tamen intestatus decedens §. 2. cod. Agnatis expressis verbis, per interpretationem Patronis pr. I. de legit. Patr. tut. qui agnati sunt cognati per Virilis sexus Cognationem

nem conjuncti, quasi à Patre cognati §. 1. *Inst. h. t.* & §. 1. *Inst. de leg. agnat. success.* quos Saxones vocant die Schwerdmagen die eines Geschlechts Schilts oder Helms sind / non autem cognatis, (olim enim sonabat aut Suus heres §. 1. *Inst. de hered. quæ ab intest. defert.* aut agnatus *pr. Inst. de legit. agnat. suc.*) qui sunt cognati per personas fœminini sexus conjuncti §. 1. *Inst. h. t.* & vocantur Spielmagen quasi von der Spindel Verwandte / *vid. Eckolt. h. t. §. 3. defertur.* Sed quia *juxta Novell. 118. c. 4.* in successione agnati & cognati parificati sunt, Ergo & in tutelæ administratione, ubi enim parile successionis emolumentum, ibi & parile onus Tutelæ, interim tamen proximiores, modo justæ ætatis sint §. *unic. Inst. de fiduc. Tutel.* remotioribus præferuntur §. 7. *I. de Capit. deminut.* Jure Saxonico Agnati præferuntur Cognatis eo quidem ordine, ut semper ad proximiores & inter hos ad ad seniore agnatum munus tutelæ spectet. *L. N. lib. 1. art. 23. Weichb. artic. 49.* Quod si autem proximior agnatus minor sit, ejus adjutor est proximus sequens agnatus, qui tandiu administrat donec proximior agnatus major factus *dict. artic. 49.* Mater tamen & avia etiam de hoc jure, post positos agnatis ad tutelam admittuntur. *Landrecht libr. 1. art. 11. sub fin.* interim tamen in quibusdam locis agnati adjunguntur *Gloss. lat. ad text. Germ. Landr. libr. 1. art. 23. lit. b. sub fin. Zobel. in art. 23. liter. B. libr. 1. Landr. vel alibi defectum ejus Curator in litem datus supplet v. C. Z. p. 2. C. 11. D. II. Schulz. Synop. Instit. Imper. h. t. lit. b.* Quoniam vero *juxta Inst. nostras* variæ hujus Tutelæ species, tamen *Nov. 118. c. 4, 5.* reliquæ salvo jure Patronatus abolitæ sunt, & in hanc confusæ, quare reliquos titulos amplius non curamus. *Dn Struv. Ex. 31. h. t. tb. 25.*

§. 8. Quæritur an matre mortua, filio impubere relicto ac testamento nullo constituto, patre autem vivente aliquis Tutor dari possit *Resp. Negando,* & quidem neque quoad personam, quia filius non est sui Juris propter patriam potestatem *pr. I. de his qui sui vel alien. jur. sunt,* in tutela autem existentes sui juris sint, *pr. Inst. de Tutel.,* neque quoad rem, Tutor enim personæ non rei datur, §. 4. *Inst. qui testam. tutor. dar. poss.,* sed pater vi suæ patriæ potestatis bona materna administrat & in iis usumfructum habet *l. 1. C. de bon. matern. imò in aliis bonis quæ liberalitate extranei aut fortunæ liberi habent l. 6. C. de bon. quæ liber.* Jure Saxonico ususfructus Patri debetur, etiam

etiam si liberi de pane istius non vivant, sed aliunde habeant alimenta
*Carpzov. p. 2. C. 10. D. 7. sic in Dicasterio Jenensi Anno 1605. mens.
Jun. dicente Richtero p. 1. Decis. 18. N. 3. responsum fuit.* Et hoc verum
est, si liberi apud Patrem vivere nolint, vel cum ejus consensu apud
alios vivant; secus si alimenta recuset, quo casu illi ususfructus non
debetur, *uti in eodem Colleg. anno 1640. pronunciatum.* Jure com-
muni ad dies vitæ ususfructus competit §. 1. *Inst. per quas person. cuiq;*
acqu. Jure Saxonico vero tamdiu competit, donec filius a Patre se se-
parat *vid. eund. Richter. cit. part. 5. Decis. N. 7.* Facta autem sepa-
ratione pater liberis cogitur restituere bona adventitia sive sint ad-
huc sub patris potestate sive non, *Schneidew. in comment. Instit. de
patr. potest. N. ult.* quibus restitutis alimenta iis suppeterere non debet,
cujus rei præjudicium habet *Dn. Richt. cit. part. 5. Decis. n. 7.* nisi sit
peculium adventitium Extraordinarium *Carpz. p. 2. C. 10. D. 10.* pa-
tri tamen egeno ex iis aliquid debetur, *Richt. N. 8. eod.* Interim a con-
fectione solennis inventarii immunis est, nec cautionem præstare te-
netur, si immobilia possidet & omne periculum dissipationis abest
*Magn. Struv. Jur. Prud. forens. b. 1. §. 2. & nuda consignatio in
præsentia cognatorum facta, sufficere potest. D. Struv. eod. §. 1. eam-
que apud Magistratum deponat, quo evitet juratam specificationem
quæ contra reverentiam Parentum est, argum. l. 5. junct. l. 7. §. 3. ff.
de Obsequ. Parent &c.* jura quippe de Parentis consilio optimè præsu-
munt *l. 7. C. de Cur. furios.* Et quamvis ad secunda transiat vota, tamen
ejus amor durare videtur, *evol. Dn. Richt. p. 1. Dec. 18. N. 2.* modo
conventionem cum liberis prioris matrimonii ineat, *Dn. Struv.
Prud. Forens. de legit. Tutel. §. 1.; quæ ab Eckoltio de Adopt. §. 10. Pa-
rriatio vocatur,* quia pares fiunt quoad Jus filiationis, ut tanquam ex
uno matrimonio nati habeantur, *Consul. Dn. Struv. Ex. 3. de
Adopt. tb. 66. ut & Habn. ad Wesenbec. de Adopt. N. 6.* Requisita hu-
jus, Unionis DD. sequentia ponunt. (I) Ut consensus interponatur e-
jus qui Magistratum hodie habet vel a Principe, vel proprio Jure, (II)
ut fiat præsentibus agnatis proximis qui interesse habent, nec infan-
tes sint, (III) Judex bona cognita habeat, (IV) Magistratus decretum
adsit. Effectus dieser Eintindschafft ist / quod sic ferè ut in testamen-
to, hac tamen differentia, quod illud revocari possit, hoc autem pa-
ctum irrevocabile & Jus conventionale producat, alias modo legiti-
mum

num & hereditarium est, ac ex hoc petitio hereditatis conventiona-
lis oritur, *vid. Gajl. 2. Observ. 125. Hahn. Dissert. de Jur. Rev. Concl.*
74. Tandem hæc actio moribus introducta, universalis & bonæ fidei
est.

§. 9. Quamvis autem tutela virile officium sit, *l. 16. ff. de tu-
tel.* tamen mater & avia tutrices esse possunt patre mortuo ac tutore
testamento non dato, propter singularem affectum, quo liberos pro-
sequuntur, modo secundis nuptiis (ne incidant in periculum & da-
mnum rerum suarum, nec potest licet velit & cognati consentiant,
auth. Cod. Sacram. quand. mulier offic. tutor. fung. & quidem propter
suspicionem, quia non solum bona, sed quoque vitam liberorum
maritis addicunt, *Carpz. p. 2. C. 2. D. 14.*) & SCt. Vellejano renun-
cient non vero jurato ut olim, *l. 2. C. quand. mul. offic. tutor. fung.*
potest. Moribus tamen nostris non valet, modo mater ad acta sim-
pliciter renunciaret secundis nuptiis & aliis beneficiis, *auth. matr. junct.*
auth. Sacram. C. quand. mul. offic. tut. fung. quo matrimonia libera
sint, *l. 22. ff. de R. nupt.* ne pro aliis obligari possint, interim avo pa-
terno non præferuntur, scil. quoad Jus Romanum, §. 3. *Inst. de patr.*
potest & §. 2. *Inst. de SCto Tertull.* non vero quoad praxin modernam,
in Saxonia præprimis, quando liberi majorenes, (*vid. Const. Elect. 10.*
quæ dicit illos liberos à nexibus patriæ potestatis liberari, qui legiti-
mam ætatem compleverunt, *Su in ihren mündigen Jahren kommen/*
i. e. qui annum 21. attigerunt, nota Wesenb. ad hanc Constitutio 10.)
& separatam instituunt Oeconomiam loco emancipationis est, *ead.*
Constit. Electoral. 10. die sich vom Vater mit Anstellung ihrer eigenen
Haushaltung und Nahrung scheiden. Filia autem, licet ædibus
mensaque Patris adhuc fruatur, tamen vinculo patriæ potestatis Jure
Saxon. solvitur per text. *in art. 31. vers. Wann ein Mann ein Weib*
nimt/ quia hæc in tutelam & curam mariti transit, absurdum enim est,
aliquam in tutelâ vel curâ esse, & tamen patriæ potestati subesse, *arg.*
§. 3. *I. de Tutel. Landrecht libr. II. artic. II. lit. B.*, quæ ratio in filiis
cessat, *Eckolt de Adopt. & emanc. Hahn. ad Wesenbec. eod. Magnif. Dn.*
Struv. Ex. 3. th. 68.

§. 10. Quæritur an Mater tutelam repetere possit, si nuptiæ se-
cundæ iterum dissolutæ sunt? R. D. Strauch. affirm. ob hanc ratio-
nem, quia hoc faciat non vi successionis, sed ex præsumta singulari

B

af-

affectione erga liberos, nos autem putamus nequaquam hoc fieri posse, propter vota secunda, quæ amorem mutasse videntur.

§. 11. Porro hæc ventilatur quæstio, an matri, patre mortuo usufructus in bonis liberorum competat? R. affirm. quamvis Carpzov. neget, p. 2. C. 10. *Defin.* 13. ob defectum patriæ potestatis, quod tamen quoad Jus Electorale valet, secus in aliis provinciis fit. *Vid. Dn. Richt. P. I. Dec. 18. à N. II. usque ad fin. & in 25. inquit:* Matri usufructus competit licet liberos in potestate non habeat. Videtur enim quod moribus Saxonis tam patri quam matri magis ex reverentia & æquitate propter onus educationis & alimentationis, quam jure patriæ potestatis usufructus tribuatur, *uti in Colleg. Jenens. ann. 40. pronunciatum dicente Richt. eod. n. 25.*

§. 12. Hodie licet agnati adsint, nihilominus tamen confirmandi sunt, *vid. Ordinat Polit. 1577. 1548. Tit. vom Pupillen §. Das auch ein teglicher &c. & documento opus habent, si vel ipsi, vel per alios in judicio apparent, quo personam suam legitimant, idque Tutorium appellatur.*

§. 13. Ultima denique Dativa est, quæ datur si nullus omninò Tutor adest, *pr. J. de Attil. Tutore &c.* vel quidem Tutor est, sed ratione aliqua impeditur, quod dies, vel conditio nondum extiterit, vel hereditas nondum adita, §. 1. & 2. *eod.* Est autem talis, quam Magistratus competens, ad petitionem Matris aut propinquorum, vel etiam ex officio constituit, *Ludw. Diss. 3. th. 5.* Olim jure Magistratus non competebat, quia Jurisdictionis non erat, l. 6. §. 2. *ff. de Tutel.* quæ formale Magistratus est, nam Jurisdictionem habet, quia Magistratus est, Ergo omnis Magistratus habet Jurisdictionem, *Vid. Dn. Struv. Ex. 4. de Jdict. th. 53.* sed speciali legis, vel Principis, aut S. C. ti concessione competebat, vel etiam ex officio v. gr. Prætoris, commissa erat, *argum. l. 1. ff. de Jdict. l. 3. pr. ff. de postul. l. 3. §. 5. ff. Judic. solvi.* Breviter, tutelæ datio est Jurisdictionis Extraordinariæ, non vero Ordinariæ, *argum. l. 6. §. 2. ff. de Tutel.* Et licet hæc distinctio quo ad nomen in Jure nullum fundamentum habeat, tamen quo ad effectum valet, *l. cit. 6. §. 2. ff. d. tutel.* Legatur *Dn. Struv. Ex. 31. de tutor. & curat. th. 29. Ludw. Diss. 3. th. 5.* Non autem obstare videtur §. 4. *J. b. t.* ubi extant hæc verba: *Prætor dat secundum suam Jurisdictionem.* Resp. scil. in iis locis quibus præest, & in quibus Ju-
ris-

risdictionem habet. Unde DD. per voculam Jurisdictionis intelligunt territorium Jus dicentis, extra quod ipsi, juxta *l. fin. ff. de Jdiēt.* impunè non paretur. Dationem ergo hanc magis ex imperatoris Claudii, aliorumque Imperatorum Constitutionum permissione, quam ex Prætorum consensu ac Præsidum Jurisdictione, processisse credendum est. Notum est, quod hodiè aliquid competat jure Majestatis, & apud nos Jure Superioritatis territorialis, Wann etwas vom Fürsten oder Regierung geschieht / vel jure specialis legis, v. gr. si Magistratui ordinario speciale aliquod privilegium conceditur, quando Commissarius simul est. Quamvis Jure Romano tutelæ datio, præsertim urbicaria non Jure Magistratus, vel Majestatis, sed speciali lege competeat, moribus tamen nostris vi Magistratus ordinarii debetur, per *Recessum Imperii de anno 1548. tit. 31.* Von der Pupillen und minderjährigen Kindern Tutorn und Vormündern §. 1. in med. So wollen wir etc. & anno 1577. tit. 32. §. 1. in med. So wollen wir etc.

§. 14. Quia autem ob defectum judicii orphani Tutores sibi ipsis petere nequeunt, hinc quidam ex necessitate, ut mater, quæ liberis suis imo & naturalibus eos petere necesse habet, *l. 6. 9. 10. fin. C. qui pet. Tutor.*, adeò, ut si intra annum hoc negligat, tanquam indigna ab hereditate repellatur, *l. 2. §. 1. ff. b. t.* in tantum, ut etiam codicillis testamento confirmatis pater Tutores reliquerit, nihilominus petere debeat, *l. 4. ff. qui pet. Tutor.* nisi minor sit, nam tunc restitutio in integrum locum habet, *l. 2. C. si advers. deliēt.* nec juris ignorantia excusat, quia naturaliter obligatur curam filii habere, *l. fin. C. eod.* nisi filius post pubertatem decedat, *l. 10. C. de legit. hered.* tunc liberi creduntur renunciasse illatæ sibi injuriæ, propter omissionem petitionis, aut casus fortuitus impediatur, *l. 8. C. b. t.* Quod in præcedentibus dictum, illud & in aviâ obtinet, *l. 2. §. 28. ff. ad SCt. Tertyll.* Ast hodiè hic casus in terminis rarius datur, cum Magistratus officio omnis tutelaræ inspectio incumbat. *Vid. D. Struv. Jpr. for. de Tutel. tb. 5.* ac petitio ista quoad Jus Civile necessaria esse videtur, moribus tamen nostris, imprimis in Saxonîâ, mater petitione neglectâ, hereditatem non amittit, propter juratam specificationem, quam edere tenetur, *Decis. Elector. 21. Libertus*, qui petitione tutoris intermissa quoq; punitur, quo se emendet, si apparet negligentiam hoc factum esse, *l. 2. §. 1. ff. b. t. quidam ex voluntate hoc faciunt, ut agnati & cognati.* Naturaliter

quidem omnes obligantur petere tutorem, matrem tamen & liber-
tum L. Lator obligat, reliquorum vero conscientia id relinquit. Quam-
vis regulariter Magistratus, nisi rogatus, officium suum impertiri non
soleat, l. 4. §. 8. ff. de damn. infect. tamen, licet nemo petat, ex offi-
cio tutores constituere tenetur, hoc enim pertinet ad Jus dicentis
officium, l. 1. ff. de Jdict. eoqve mgis, quod tutela munus publicum sit.
Consul. Habn. ad Wesenbec. b. t. n. 1. Nec obstat l. 6. §. 15. ff. de excus.
tut. Resp. distingvendum esse inter munera publica: alia enim sunt
in specie sic dicta, alia Reipublicæ. Illa sunt, vel ratione autoritatis
publicæ, quod publicâ Magistratûs auctoritate imponantur, ut tutela
& cura, §. 1. J. de excus. tutor. vel ratione exercitii, ut esse Advoca-
tum, notarium. Hæc sunt e. gr. Consulatus, Quæstura, quæ princi-
paliter tendunt ad utilitatem Reipubl. vel Magistratus. Indeque tu-
tela hoc respectu non est munus publicum, sed privatum, principali-
ter privatam spectans utilitatem. Habn. ad Wesenbec. de tutel. n. 4.

§. 15. Petendus autem est in loco domicilii, l. unic. C. ubi pe-
tant. tut. vel curat. tum maximè, si ibi moratur, l. 2. C. de Incol. vid.
Dn. Struv. Ex. 31. th. 24. quia Tutor personæ datur, l. 30. ff. de admin.
Tutor. Tunc autem Judex loci rei sitæ Tutorem dare potest, si Tutor
in loco domicilii datus, nolit universum patrimonium administrare,
quo etiam tendit, l. 21. §. 2. ff. de excus. Tutor. Eckolt de Tutor.
dat. §. 2. qui potius in effectu Curator est, §. ult. J. de Curator. Edu-
cationem quod concernit, ea in se continet, victum, vestimentum,
habitationem, & instructionem in bonis artibus l. 2. ff. pr. ubi pupillus
morari & c. l. fin. ff. de aliment. & cibari. legat. Committenda autem
educatio ei est, qui propter affectum aptus judicatur, & ob suc-
cessionem non suspectus est leg. 2. Cod. hoc tit. non autem illis, qui im-
puberis pudicitia infidias struere possunt, l. 5. ff. b. t. Et quamvis, ubi
& sub quo pupillus educandus sit, iudicio patris standum, l. 1. §. 1. ff. eod.
à quo tamen, si patri latuit vitium educatoris, Judex recedere potest,
citat. leg. Si vero de voluntate patris nihil constat, matri cura pupil-
li committenda, Dn. Strauch. Disf. 5. th. 27. nisi ad secunda transiat
vota, l. 1. C. b. t. Nov. 22. c. 38. tamen arbitrio Judicis vitricus & no-
verca admittuntur, si de eorum amore constat, Dn. Schilt. prax. for.
Rom. b. t. imò quia quotannis rationes reddere tenentur, Carpz. p. 2.
C. II, D. 43. Alimenta pro modo facultatum à Magistratu decerni de-
bent,

bent, l. 2. ff. b. t. l. 3. §. 1. eod. sed tantum id, quod ex reditu superflu-
um est. vid. §. 1. 2. §. 3. ff. b. t. l. 2. C. de alim. prest. l. 3. §. 5. 6. ff. b. t.
Quod si inter matrem, fratrem tutores supra hâc re controversia o-
riatur, Judex inspectâ qualitate & conditione personarum statuet,
l. 1. C. d. t. Evolv. & Schnob. b. t. th. 22. Eckolt. tot. tit. Habn. ad Wesenb.
eod.

§. 16. Nunc ipsum Tutorum sequitur officium, quod partim in
personâ pupilli defendendâ, de quo §. præced. actum, partim in ad-
ministrandis bonis & autoritate præstandâ, consistit. Administra-
tioni autem præcedit, (1) ut à Judice decernatur, daß Ihme die
administration durch die Obrigkeit befohlen/ in cujus probationem
à Magistratu dari solet Tutorium, nec interest, utrum sint testamen-
tari, legitimi aut dativi Tutores, juxta Ordinationem Politicam 1548.
tit. 31. Von der Pupillen &c. §. 2. Daß auch ein ieglicher Vors-
münder/ Er sey gleich Testamentsweise / ordnet / oder durch
das Recht oder Richter gegeben/ sich die Vormundschaft nicht
unterziehen soll / die Verwaltung sey Ihm dann zuvor durch
die Obrigkeit decernirt und befohlen. (2) Cautionem præsent de
indemnitate pupilli, pr. J. de satisd. (Olim testamentarii & dativi sa-
tis dare non obligabantur, quia eorum fides à testatore & Magistratu
approbata, sed modo legitimi, principio citat. exstat, Tutores satis-
dant, testamentarii & dativi non satisdant, Ergo legitimi, satisdant)
fidejussoribus, argumento legis 1. ff. qui satisd. coguntur, non vero
pignoribus datis, nam prætorix stipulationes desiderant perso-
nas, l. 7. ff. de stipul. Prætor. rem pupilli salvam fore est Prætoriam, §. 2.
J. de divis. stipul. Ergo & desiderat personas, scil. fidejussores; præ-
sertim cum suscipiebatur super re incertâ, ubi quantum scil. est incer-
tum, qualis est redditio rationum, finitâ demum tutelâ peragenda,
alioquin, si præstanda esset super re certâ, pignora sufficere poterant.
Vid. Strauch. Dissert. 5. th. 22. Fidejussoria cautio quoque optima
est, quia non solum ipsi, sed & heredes obligantur, §. 2. J. de fidejuss.
non autem pignoratitia, pignora quippe facile amitti possunt, & sic
cautio expirat. Nec obstat l. 25. ff. de R. J. quod plus cautionis sit
in re quàm in personâ. Resp. in reo scil. principali, non vero in fide-
jussore. Sed hodiè cum requiratur saltem inventarii confectio, &
quotannis ab omnibus ratio reddenda, juxta constit. Carolin. 1548. tit.

31. Von der Pupillen &c. §. 3. daß Er nach befohlner Verwaltung &c. in med. und Jährlich auf Foderung der Obrigkeit / gebühlich Rechenschaft thue. Imò & à Rudolpho II. de anno 1577. tit. 32. §. 3. extensum. Daß Er nach befohlner &c. und Jährlich nicht allein auf Erfoderung der Obrigkeit / sondern auch selbst / Vermög seines anbefohlenen Ampts &c. gebührliche Rechenschaft anbieten &c. sufficit, si Tutor bona immobilia habet, vel alia bona quæ satis pupillo hypothecata esse possunt, l. 20. C. de administr. tutor. & l. ult. ff. in quib. caus. pign. vel hypothec. tacit. contrah. Vid. Dn. Struv. Sprud. forens. b. t. §. 1. (3) Promissio jurata fiat, juxta Ordin. Politic. de anno 1548. tit. 31. Von der Pupillen. §. 3. Daß Er &c. auch mit Gelübden und Eydten beladen werde &c. Hodiè autem apud nos fieri non solet & in desuetudinem plane abiit. An autem in personis splendidis ac illustribus adhuc usus sit hujus juratæ promissionis, quando ipsis tutela vel à Cæsare, vel Judicio aulico committitur, de his pluribus agendum erit cap. II. Jure veteri juramentum curator furiosi solum præstabat, l. ult. §. 5. C. de curat. furios. Secundum Nov. 72. c. 2. & citat. ordinat. Polit. §. 3. præced. omnes jurent. Sed nonnulli Status Imperii, imprimis Saxones, gaudent *αυτονομία*, & necessitas juramenti in omnibus provinciis non fuit introducta, sed modo admonentur tutores juramenti Magistratui præstiti, vel loco juramenti an Eydtes statt promittunt, teste Schneidew. tit. I. de legitim. agnat. tutel. §. 1. n. 17. Carpz. p. 2. c. II. d. 6. (4) Inventarii confectio, l. 7. ff. de admin. tutor. Quomodo olim factum ostendit Jurisprud. forensis Struviana. Hodiè publica autoritate fit, & sigillo publico munitur, quodque fundamentum est rationum reddendarum, ac conducit ad conveniendos debitores, l. 57. ff. b. t. sumtibus tamen pupilli, Mynsing. cent. 6. observ. 39. eâ tamen formâ, ut omnia bona pupilli, mobilia & immobilia, itidem jura, candidè, clarè, liquidò & distinctè recensita, quo & tutores absque alia probatione ex eo conveniri possint. vid. Habn. ad Wesenbec. b. t. n. 4. Struv. Ex. 31. th. 36. Eckolt. b. t. Administrat itaque Tutor veluti Dominus, l. 27. ff. b. t. imò & statim, si scit se esse Tutorem, nam periculo suo cesat, atque extra ordinem captis pignoribus cogitur, l. 1. pr. §. 1. ff. b. t. l. 17. eod. ac potissimum administratio consistit (1) in actionibus nomine pupilli instituendis ac exercendis,

dis, l. 1. §. fin. ff. h. t. l. 22. 23. ff. eod. tamen absq; cautione de rato, l. 13. 23. C. h. t. ac l. 23. ff. eod. Nomina minus exigibilia suscipere cogi potest, moda ea non agnoscat ut idonea, alias periculum in se suscipit, l. 44. pr. ff. h. t. (2) in erogatione pecuniæ pupillaris, l. 12. §. 2. 3. l. 13. §. 1. 2. ff. h. t. l. 3. C. eod. imò si pecunias fœnori non dederit, usuras solve- re tenetur dict. legibus, licet Nov. 72. c. 6. eam necessitatem remiserit, moribus tamen nostris id approbatur. Carpz. p. 2. c. 11. d. 22. nisi ido- nea prædia & creditores idonei defecerint l. 3. C. de Usur. pupill. §. l. 12. §. fin. ff. h. t. cujus tamen contrarium probet pupillus Carpz. p. 2. c. 11. d. 23. nisi constet tutorem propriam elocasse pecuniam l. 13. §. 1. ff. h. t. Carpz. dict. loc. (3) Solvendo creditoribus pupilli, l. 23. C. h. t. & in quibusdam casibus sibi ipsi solvit, l. 9. §. 5. ff. h. t. ipse enim litem in judicium deducit, nisi l. 23. ff. h. t. dubitetur quis sit tutor vel cura- tor, nam æquum est adversarium non decipi, quamvis alias in rem suam auctor esse non possit, §. ult. I. de auctor. tut. benè tamen facit, si solutionem sibi fieri curat, vel per Judicem, curatorem aut arbitrum. Consul. D. Schilt. Prax. for. Rom. h. t. (4) in alienatione rerum quæ servando servari non possunt, l. 22. C. d. t. scil. quæ morâ deteriores fieri possunt. Vid. plur. Hahn. ad Wes. de rebus eorum qui sub tutelâ & c. Quæ vero servari possunt, sive sint mobilia, s. immobil. servanda sunt, nisi (I) justa alienandi causa, l. 22. C. de administrat. tutor. per verba l. cit. nisi hac forte necessitate. (II) Decretum Magistratus, per hæc: interpositionem decreti, (III) causæ cognitio adsint, per illa: per in- quisitionem Judicis. His itaq; non observatis alienatio prorsus in- valida est. Carpz. p. 2. c. 11. d. 28. nec dominium transfertur, l. 10. C. de præd. & aliis rebus & c. Dantur tamen casus, ubi non opus est de- creto, scil. si vestes attritæ sunt, & periculum in mora, l. ult. c. quand. decret. opus non est, aut res à patre oppignorata, quia per hoc jus in re transfertur, & creditor potestatem habet id distrahendi, pretio ju- sto tempore, non soluto. Plures exceptiones habet Dn. Struv. Jprnd. for. h. t. §. 13.

§. 17. Quæritur autem qualem culpam præstare debeat tutor? Notandum quod in statu naturali omnis abesse debeat culpa, in legali vero necessitate urgente, varia inventa est, quatenus nempe Res- publica exigit hujus vel illius culpæ præstationem, quæ non accuratè eam considerat, sed in hoc casu, hanc in alio vero aliam adhibendam esse.

esse. Est autem triplex: lata, levis & levisissima. Levis fundamentum est reliquarum culparum, & præstatur, quando utriusque utilitas observatur, ut in emptione, pignore, locatione & conductione, si autem unius, v. gr. dantis utilitas versatur, tunc lata culpa præstatur i. e. diligentia minima, ratio est, quia is apud quem deposita res nullam habet utilitatem. Si vero accipientis utilitas attenditur, tunc culpa levisissima, ut in commodato, præstanda est, *vid. l. 5. ff. commodat.* Quod si aliena negotia expedienda sunt, quasi status naturalis manet, & accuratissima adhibenda diligentia *l. 21. C. mandat. vel contra § per §. 2. Inst. de pœn. temere litig.* talis famosus fit ob dolum. Itaque tutor accuratissimam quoque adhibeat diligentiam, quia aliena h. l. negotia sunt? Resp. valet hoc in spontaneis, non vero in invitis, in his levis saltem sufficit diligentia, Ergo tutor ut ad questionem primam Resp. culpam levem præstet, quia obligatio ex contractu bilateralis ex post facto est, ac utriusque utilitas attenditur. Sed si tutor negligens in rebus suis mediocrem adhibet diligentiam, non talem adhibeat in alienis quam in suis, sed in abstracto, i. e. majorem quam in suis. Is vero, qui licet diligentissimus sit in rebus suis & alter minus, tamen diligentissimus, in concreto mediocrem adhibet diligentiam, quia eam adhibet qualem in suis. v. gr. si quid apud aliquem depositum & hic horâ septimanâ, alter quintâ surgit, igne autem comburatur, quæritur quis absolvendus, Resp. ambo, quia quilibet talem adhibuit diligentiam, qualem in rebus suis adhibere solitus, scil. in concreto.

§. 18. Altera pars officii tutoris est auctoritas, quæ variè sumitur (1) denotat Majestatem Imperatori §. 1. *I. de Adopt.* (2) Magistratui *l. 26. ff. de negot. gest.* (3) Dominis & Parentibus, *l. 2. §. 1. ff. de Pollicit.* (4) Consanguineis, *l. 7. ff. de Adopt.* (5) Curatoribus, competentem *l. 8. ff. de Adopt.* specialiter tamen & magis propriè, pro Tutoris auctoritate, *per rubr. Inst. hoc titulo*, & est nihil aliud quam inter pupillum & extraneum Tutore præsentem §. 2. *I. h. t.* quod geritur negotium, pura, *l. 8. ff. h. t. expressa, l. 1. §. 1. ult. § per. ff. de tutel.* & statim in ipso negotio interposita approbatio, §. 2. *Inst. h. t. vid. § l. 3. ff. eod.* Quæritur autem an auctoritas & consensus differant? *D. Struv. Ex. 31. h. t. th. 40.* dicit: auctoritatem ad pupillum, consensum ad curatorem pertinere, & *th. 41.* pergit: quod auctoritas præsentis

tis tutoris approbatio sit. *Hahn. ad Wesenbec. b. t. n. 5.* auctoritatem ad personæ integritatem pertinere, & in ipso statim negotio intervenire debere, cum *Ludw. Diss. 3. tb. 7. lit. c.* putat, consensum vero posse antecedere, intervenire & subsequi **R.** quamvis hoc quoad theoriam valere soleat, tamen hodierna praxis non curat, an præcedat, an sequatur auctoritas, dummodo pupillus nullum damnum incurrat. Quid? auctoritati consensus inest, *DD.* quidam dissentiunt: moribus tamen nostris hanc scrupulositatem non attendi, *Perez. C. b. t. n. 9. ait.* Non autem absque tutoris auctoritate conditionem suam deteriorem facere potest pupillus, hinc stipulando alteri promittere nequit, *pr. f. b. t.* Idem & dicendum in contractibus bilateralibus, ubi mutue obligationes sunt, ut in emtione & venditione, in his, qui cum iis contrahunt, obligantur, non autem contra, & imputent sibi, quod voluerint contrahere cum imperfecto iudicio præditis, perfecti, modo obligatio non vi, metu aut dolo facta. Nec extraneam adire queunt hered. §. 3. *Inst. de hered. que ab intest. desert. §. l. 8. ff. de acquir. hered.* (de suâ hereditate sermo non est, nam tunc ipso iure & ante omnem declarationem heredes sunt) & licet opponatur, pupillum damnum non incurrere propter restitutionem in integrum **R.** restitutio in integrum est remedium extraordinarium, ad quod non facile recurrendum, quia melius est jura pupillorum intacta servare, quam vulneratâ causâ, remedium quærere, *l. final. C. in quib. caus. restitut. in integr. §. c.* Et quamvis lucrosa sit, nec ullum damnum habeat, §. 1. *l. b. t.* imò, licet beneficio inventarii eam adeant, quia autem ipsa administratio culpæ & damno subjacet, quod propter tenellam ætatem circumspecte pupillus declinare nequit, utique & ad hæc prohibitionem §. nostri extendi posse, arbitramur. Non autem *b. l.* intelligimus infantem, is enim tutore auctore agere non potest, quia à furioso non distat, §. 10. *I. de Inut. stipul.* hi enim neq; intellectum & voluntatem habent *l. 40. ff. d. R. I.* quæ duo ad conventionem requiruntur, infantia autem & pubertati proximi, tutore auctore agunt, *l. 5. ff. de R. I. §. 9. Inst. de inutil. stipulat.* hi enim æquales sunt, §. 10. citat, ita, ut sine tutoris auctoritate agentes, nequidem naturaliter obligentur, hoc est naturalis quidem obligatio revera adest, sed jure Civili habetur, ac si non adesset, (Jus enim civile naturale respicit vel in statu suo relinquendo, vel informando ac infringendo) nisi sit factus locupletior,
C b. f.

b. f. enim non patitur, ut bis exigatur, l. 57. ff. de R. I. Dilucidius, aut pupillus infans est, tunc se non naturaliter, nec alium civiliter sibi obligat, nequidem cum tutoris autoritate, possessionem vero tutore auctore apprehendere potest, l. 1. §. 3. l. 32. §. 2 ff. de acquir. vel amitt. possess. aut infante major, & vel infantia proximus, tunc alium sibi civiliter, se ipsum autem ne naturaliter obligat, vel proximus pubertati pupillus & tunc alium sibi civiliter obligat, se vero tantum naturaliter; nisi aut locupletior factus fuerit, aut ex re vel dolo veniat obligatio; nam illis modis etiam civiliter obligantur, vid. Magn. Dn. Lynckerus in Notis ad notas Locam. in Instit. Quæritur an tutor sine pupillo possit hereditatem adire Resp. Neg. vid. l. 5. C. de jur. delib. secus autem fit in bonorum possessione, l. 1. C. qui admitt. ad bon. possess. Interdum ultra hanc autoritatem Magistratus decretum requiritur, uti in alienat. de quibus in præced. actum, in Verpfändung liegender Güter / in Ablegung Capitalien / &c. vid. tot. t. t. ff. de reb. eor. qu. sub. tut. Parens vero citra decretum, potest. vid. DD. ad l. fin. C. de bon. quilib. & not. ad tit. ff. de pecul. quanquam moribus alicubi etiam hoc casu decretum requiratur, Sand. L. 2. Dec. T. 9. d. II.

§. 19. Finitur autem tutela vel pubertate, quam in masculis 14. in foeminis 12. anni absolvunt, ratio physica est cur foemina citius pubescant, quia sunt frigidioris, masculi autem calidioris naturæ, quamvis quidam dicant, quod foemina, quia citius pubescunt, præstantiores sint, tunc & neg. quod enim plus temporis requirit perfectius est, imò & potestas generandi in masculis diutius durat, vid. Pol. Cell. de soc. nupt. §. 9. Alii affirmant tutelam non finiri, quia tutores manent, donec impuberes majorenes facti. Resp. lex si non abrogata, suas retinet vires, pubertate enim finita, ea definit. Quamvis hodie communiter maneant curatores qui fuere tutores & tutor & curator in unam personam concurrant. Struv. Ex. 31. th. 51. Jprud. l. 1. tit. 24. t. b. 2. Carpz. verop. 2. C. II. D. 10. dicit, si quis fonticas causas habet à cura se excusare potest, Dn. Richt. vero contrarium statuit, p. 1. Decis. 13. th. 6. & ita in Dicasterio Jenensi 1599. pronunciatum fuisse asserit. Contrarium quoque obtinet in statutis Hamburgens. p. 3. tit. 6. Licet autem tutela & cura subjective convenient, certis tamen causis adhuc distinguuntur, juxta Gail. 2. Observ. 96. Jure Canonico pubertas certis annis non est determinata, quam Jure Civili, sicuti nec jure naturali. In

cri-

criminalibus inter masculos & foeminas nulla differentia est, sed anno 14. pubertatem consequi videntur *P. 3. O. artic. 164. Carpz. 3. Crim. qu. 143. n. 26.* Quod sequitur Jus Saxon. *ap. Carpz. p. 3. qu. 43. n. 26. & seqq. Prax. Crim.* Hoc tamen speciale est quoad derelictionem alimentorum, quæ si ad pubertatem usq; legata fuerint, debentur masculo donec ad annum 18, foeminae ad annum 14. pervenerint, *l. 14. §. 1. ff. de alim. & cib. legat.* idque pietatis intuitu, ut annus coeptus pro completo non habeatur. In Civilibus valet hoc, ut in usucapionibus, in naturalibus vero non, sed ibi tempus currit de momento in momentum. Quomodo ulterius finiatur tutela *vid. Inst. §. 1. 2. 3. 4. §. b. t. & quidem §. ultim.* quo dicitur, quod etiam desinant esse tutores ob crimen suspecti, vel qui ex justa causa se excusant & onus administrandi deponunt.

§. 20. Est itaque suspectus tutor, qui non ex fide tutelam gerit, *§. 5. Inst. h. t.* vel, qui gestionem omittit. Tenetur enim non solum ad restitutionem damni emergentis, sed & lucri cessantis, non minus de neglectis quam male gestis. *Carpz. p. 2. C. 24. D. 12.* Omnes autem suspecti fieri possunt *§. 2. Inst. h. t.* si scil. ex fide tutelam non gerunt *§. 5. eod.* Patronus æquè, modo famæ ejus parcatur, hinc famosa judicia, quibus infamiâ irrogatur, adversus Parentes & patronos nemo potest instituere, *l. 11. in f. ff. de dol. mal. l. 5. §. 1. C. eod.* sed tantum actionem in factum, ob reverentiam debitam, aut communiter tutor honorarius, vel curator adjungi solet. Hæc accusatio quasi publica est, *§. 3. Inst. h. t.* expedit enim Reip. ut bona pupillorum defensa maneant, & *Hahn. ad Wesenbec. h. l. n. 4.* dicit: Omnium civium & Reip. interest non negligi hujus pupillaris ætatis curam, quæ seminarium est omnium ordinum Civitatum. Non autem quasi accusatio est, sed quasi publica, quia omnibus competit & est publicum, quod singulis populis competit *§. 1. Inst. de publ. judic.* & quasi publica ideò vocatur, quia nulla Lege expresse publica constituitur, *argum. l. 1. ff. de publ. judic.* Quamvis vero mulier regulariter postulare nequeat (postulare est desiderium suum in judicio proponere vel alteri contradicere, *l. 1. §. 2. ff. de postul.*) tamen in favorem pupilli non repellitur, modo Prætor propensa pietate intellexerit, h. e. causæ cognitione summaria, sexus verecundiam non egredientem. Moribus tamen nostris melior est postulatio, si fit à matre vel aliis cognatis,

tis, imò & extraneis per medium denunciationis, tunc magistratui ordinario cujuslibet loci, ex officio suspectorum remotio incumbit, præsertim quotannis, aut si ipsi placet, rationes examinare, periculum quocunqve modo à pupillis avertere, l. 3. §. 4. ff. b. t. Hoc tamen singulare est, quod tutor suspectus, pendente causâ cognitionis, removeatur ab administratione bonorum pupilli, donec causa finiatur, l. 7. C. b. t. (adsint tamen indicia idonea, juxta A. Fab. lit. b. D. 2. quodqve in officialibus procedit, Lipsiæ enim anno 1639. Mense Octobr. judicatum, ut Magistratus loci cujusdam, nisi ducentos florenos pœnæ loco dare vellet, actuario, ob non sufficientia indicia, bona pupilli ut ante, administrare permetterent. Vid. Dn. Schilt. in Comment. suo ad ff. hoc titulo imò & litem tutor contestatus sit, vid. Hill. 3. 16. argum. l. 5. ff. ratam rem haberi &c. aliquando, si tutor causam suspicionis non præbet, actionem injuriarum sibi parit) & sic initium processus ab executione fit, propter favorem pupillorum, ne eorum conditio, quæ alias miserabilis est propter mortem suorum parentum deterior reddatur & damnum patiantur; imò ne ansam ulterius grassandæ arripiat in bonis pupillorum, vel non expedit pupillo habere tutorem ex accusatione inimicum. In Consistoriis Ecclesiasticis Augustanorum hoc quoqve receptum est, ut ministri Ecclesiæ, criminis atrocioris accusati, ab officio suspendantur, usqve dum præviâ legitimâ inquisitione confessi aut convicti fuerint, vel innocentiam sufficienter docuerint. Carpzov. Consist. libr. 3. tit. 10. Et sic duos casus habemus, in quibus processus ab executione fit, quæ tamen proprie loquendo executio dici nequit, sed potius suspensio aut inhibitio. Nota, quod secundum Dn. Schilterum h. t. accusatio hæc fieri possit vel Civiliter, vel per denunciationem Magistratui factam, vel Criminaliter, de prioribus accusationibus duabus actum, nunc de ultima, quæ fit, quando non solum peto remotionem, sed ut judicis quoqve arbitrio puniatur, l. 1. §. ult. ff. b. t. vid. Illustr. Paul. Fuchsi, SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI, Consiliarii Institut. Imper. b. t. Casus occurrunt in §. 10. & 11. Inst. b. t. Datur autem hæc accusatio durante tutela. Finis itaqve tutelæ abrogatio est, & cessat, si jam sua spontè tutela finita, actio autem tutelæ, finitâ tutelâ datur, §. 7. J. d. attil. tut. Quæritur autem an pupillus tutorem suspectum postulare possit. Resp. Neg. §. 4. I. b. tit. ratio est (1) quia

quia tutor patris loco, & non nisi maturo iudicio accusari debet, (2)
Quia impuberes ignorant, quid sibi expediat, *l. ult. ff. manum, vind.*
(3) Quia non habent legitimam personam standi in iudicio, *b. t. tit. C. qui person. legit. vid. plur. Illustr. Fuchsius in Inst. suis b. t. §. 4.*

§. 21. Quid autem statuendum est, an ob culpam latam tutor famosus fiat. Resp. Neg. juxta §. 6. 7. *b. t.* ob dolum enim quis famosus est, ob culpam non æquè. Licet quidam DD. dicant, quod culpa simpliciter posita denotat levem culpam, tamen id non valet, quia si levis aliquem faceret famosum, quæstio non esset de culpâ latâ, nam cui permissum est ire per ostium, illi quoque licitum est hypocautum intrare, ast quæstio est de culpa lata, quæ in civilibus dolo æquiparatur? *l. 226. ff. de V. O. & l. 1. ff. si mensor fals. mod. dixerit* Resp. hoc fit non semper. In criminalibus & capitalibus culpa lata, dolo non æquiparatur, fama enim & vita pari passu ambulant, scil. quoad reparationis impossibilitatem, sed causa famosa est capitalis, *Ehre verlohren / alles verlohren / l. 7. ff. ad L. Corn. de sicar. Ludov. Ex. 3. th. final.* Ergo non æquiparatur dolo, quid? dolo non præsupponit solum culpam latam, sed & animum. Moribus nostris inquit: *Eckolt. b. t. §. 3.* hanc suspecti postulationem raro institui, & ferè in foro filescere, propterea tamen, *uti Bachov. contendit in Not. ad Wesenbec. b. t. n. 8. cui Manzius contradicit de tut. tit. 10. Qu. 10. n. fin.* nulla non est, siquidem à Lege tacente, ad L. negantem, non V. C.

§. 22. Nunc sequitur ultimo loco excusatio, quæ est allegatio immunitatis ex justa causa à tutelæ vel curæ onere, *Vultejus ad pr. J. b. t.* Inter quas (1) numerus liberorum *cod. pr. Romæ 3. in Italia 4. in Provinciis 5.* excusabant. Fiebat enim hoc non propter alimenta & educationem, quæ difficilia sunt, alias adoptivi prodesse, quod tamen *pr. negat.* Nos autem putamus procreationem sobolis causam esse. Romani enim id unicè egerunt, ut copiosam haberent Rempubl. multosque cives, quo sobole semper & perpetuo succrescente non deessent ad bellum milites. *Vid. Eckolt. ad ff. b. t. Hahn. ad Wesenbec. cod. n. 3.* idem affirmat, dicens, quod beneficium ideo fit constitutum, ut Civitas liberis repleatur, quod non fit, nisi procreatione, ut ita sit quasi privilegium publicæ fœcunditatis, imprimis *l. 5. ff. de Adoption. Perez. ad C. qui num. liber. n. 4.* attestatur,

Parisiis hodiernum tres, in Provinciis 5. liberos excusare. Frisii, Juris Civilis retinentissimi, indistinctè 5. desiderant. *Sand. 2. Decif. tit. 9. D. 8.* Et in Germania idem obtinet. *Vid. Philipp. Eclog. 20. ad libr. Inst.* Cæterum à patrimonialibus non liberat numerus liberorum, *l. 2. §. 4. l. 11. ff. de vac. & excus. mun. l. 6. §. 4. ff. de mun. & honor.* nisi quis sedecim filios habeat, *l. 5. §. 2. ff. de jure immunit.* sed tantum à personalibus, quale munus est tutela, *l. 1. §. 4. l. 18. §. 1. ff. de muner.* (II) administratio rei fiscalis. §. 3. *J. b. t.* nam munus Rei publicæ absorbet munus publicum, scil. in Rep. Recta. Quæritur an conductio rei fiscalis excuset? Resp. Neg. vid. *l. 3. C. b. t.* sed tantum conductio fundi Principis patrimonialis, *l. ult. C. qui dari tutor. Montan. de tutel. c. 35. n. 224.* (III) tria onera tutelæ non affectatæ, *l. 3. ff. b. t. §. 5. I. cod.* Tutela enim in genere onus est, ut quilibet ei se subducere velit, tunc ille malam contra se præsumptionem excitat, qui sponte eam, non ostensa singulari pietate adversus pupillum, arripit. Interdum una excusat, in qua tamen non numerus personarum, sed quantitas patrimonii spectanda *Dn. Schilt. ad ff. b. t. vid. l. 31. §. 4. ff. cod. & tunc l. 15. ff. de test. tut.* locum habet. (IV) Adversa valetudo, sc. si morbus fonticus est. Hic enim ne quidem suis præesse potest, & si tutelam, quæ onus est, subire deberet, necessario ad detrimentum rei domesticæ redigeretur. Quæritur autem an Podagra excuset Resp. N. totum enim corpus alias sanum est. *l. 3. C. qui morb. se excus.* (V) imperitia literarum, is enim literas nescit, qui neque legere, neque scribere potest. Quæritur an quis, si literas nesciat, curam tamen intelligat, admittatur, Resp. si patrimonium pupilli magnum nego, si exiguum concedo, de quo posteriori casu *l. 6. ff. §. fin. b. t.* loquitur, imo *quamvis, in §. 8. J. b. t.* denotat ampliationem, non verò restrictionem. (VI) ætas. *l. 2. pr. ff. b. t. septuaginta n. p. annis major §. 13. I. cod.* Jure Saxon. sexagenarius potest se excusare, *Landrecht / libr. 1. artic. 42.* Proponant autem suam recusationem non per appellationem §. 16. *I. b. t.* sed querelæ instar, nisi ea à Judice inique rejiciatur. *l. 60. §. 8. de R. N. l. 28. ff. de tut. & curat. dat. l. 13. pr. ff. b. t.* Moribus tamen nostris fit secundum constitutionem loci vel quoque oretenus, *Dn. Schilt. ad ff. b. t. Plures vid. in Inst. excusat.* An autem per Procuratorem fieri posset excusatio neg. consul. *Hahn. ad Wesenbec, b. b. nec obstat l. 25. ff. b. t.* Resp, nam non sequitur,

quitur, tutor non potest se excusare per libellum. Ergo per procuratorem. Rectius tamen probatur, quod tutor regulariter admittatur in omnibus causis, in quibus non prohibeatur. l. 43. §. 1. ff. de Procurat.

§. 23. In §. 1. *Dissert. nostr.* dictum, quod tutela sumatur, vel pro potestate in pupillum, vel pro quasi contractu inter tut. & pup. Ex quibus paucis duas demonstrabimus actiones. Omnis actio oritur vel ex Jure personarum vel Rerum, ex priori provenit, actio præjudicialis, ex posteriori si ex Jure in Re, nempe Dominio, servitute &c. Realis, si ex Jure ad Rem seu obligatione, Personalis actio. Si itaque maritus agit contra uxorem agit ob debita præstanda conjugalia, Magistratus adversus subditos, pater adversus filios, tutor adversus pupillum ad obedientiam præstandam, hæ omnes actiones præjudiciales sunt, quia oriuntur ex jure personarum. Notandum tamen, quod præjudicium variis modis sumatur, vel pro damno v. gr. hoc fit in meum præjudicium, vel pro responso Collegii Juridici, uti Carpz. responsa, vel pro actione ex jure personarum competente. *Vid. Eckolt. de Except. §. 26. & de O. & A. §. 32. & 37. Habn. ad Wesenbec. de liber. caus.* Hæ autem actiones neque sunt Reales neque personales, quia oriuntur neque ex Jure in Re, neque ex Jure ad Rem, sed ex jure personarum. Sunt verò quidam, qui existentiam harum actionum sequentibus evertere volunt argumentis:

1.

Quicq. opponitur actioni, illud non est actio,

Præjudicia opponuntur actioni,

Ergo præjudicia non sunt Actiones.

Minor, probant ex l. 25. §. 2. ff. de Procurat. & l. 27. ff. de O. & A.

2.

Quicq. non refertur ad actiones person. & Real. non est actio,

Præjudicia non referuntur ad actiones Real. & person,

Ergo Præjudicia non sunt actiones.

Minor prob. ex l. 37. ff. de O. & A.

3.

Quicq. oritur neque ex Jure in Re, neque ex Jure ad Rem, illud non est actio,

Atqui

Atqui præjudicia, neque oriuntur ex Jure in Re, neque ex jure ad Rem.

Ergo præjudicia non sunt actiones.

Notandum, quod actiones præjudiciales actiones sint, probatur ex §. 13. I. de Action. Et sicuti actio Realis est actio, ita & actio præjudicialis est actio. Hic est homo doctus, E. est homo, homo est animal Politicum, E. est homo.

Resp. ad I.

Quicq. opponitur actioni in sua latitudine, non est actio, concedo Maj. Sublato genere, tollitur & species. Atqui præjudicia opponuntur actioni in sua latitudine, nego Min. opponuntur modo Realibus & personalibus hæ actiones, quia neque ex jure in Re, neque ex jure ad Rem, oriuntur.

Resp. ad II.

Q. non refertur ad Act. pers. & Real. non est actio scil. Real. & person. concedo, præjudic. nego. Atqui & c. Ergo Præjudic. non sunt act. Real. & person. concedo, præjudiciales nego & sic iterum nego Consequentiam, nam à specie ad genus distributum N.V.C. non sequitur homo non est brutum Ergo non est animal. ita & h. l. actio præjudicialis est neque actio Real. neque personalis E. non est actio, N.V.

Resp. ad III.

Q. oritur neque ex Jure in Re, neque ex Jure ad Rem illud non est actio real. & person. concedo, præjudicialis nego, & sic iterum nego Consequentiam. Nec obstat, quando dico: Vendico servum meum, Ergo vult acquirere Dominium, quod denotat Jus Rerum, Resp. Dominium denotat (1) vel Jus rerum respectu rei, & hoc sensu non sunt actiones præjudiciales ex Dominio (2) Dominium denotat jus personarum, quod oritur ex certo statu nempe homine libero & servo, ut h. l.

§. 24. Alterum quod attinet, quod tutela pro quasi contractu sumatur, observandum, quod contractus sit Nominatus vel Innominatus. Prior est, qui habet specialem contrahendi formam, & ob hanc certum nomen, ut Emptio & Venditio, Posterior ubi deest certa contrah. forma, certumque nomen, ac non aliter producit actionem, quam si causa subest, potioresque species sunt, Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Actio, quæ exinde oritur, vocatur

Præ-

Præscriptis verbis. Nominatus est vel verus vel quasi contractus. Prior est, ubi adest contrahentium consensus, vel expressus vel tacitus, *l. 4. ff. pro soc. & l. 6. §. 2. ff. mandat.* Posterior requirit ipsum factum, ex quo actio oritur, qualis est actio tutelæ, quæ perpetua, *l. 8. C. arbitr. tutel. rei persecutoria, argum. §. 17. Inst. de Act.* & datur pupillo, ejusque heredibus *l. 1. §. 17. ff. b. t. contra tutorem ejusque heredes, l. 1. §. 16. ff. b. t. ut administrationis suæ rationem reddat, l. 1. pr. §. 1. & seqq. de tut. & rat. distr.* & est bilateralis ex post facto, quæ duplicem producit actionem, Directam & Contrariam, prior contra tutorem, posterior contra pupillū est, unumq; nomen hæc actio habet, quia contractus unum habet nomen: imò & bonæ fidei est, omnes enim contractus bilaterales b. f. sunt *vid. §. un. Inst. de Obl. quæ ex consens.* & quoties alter alteri obligatur, toties ex bono & æquo judicatur. Est autem ratio reddenda in eo loco, ubi tutelam gessit *juxta Decis. Eleët. 36.* nam in quo loco administratio facta, ibi videtur administrator quasi contraxisse, ac se & suas rationes loco illi subjecisse. *Carpzov. L. 2. Resp. 33. Mev. p. 8. Decis. 267.* dicit remittendum esse ministrum ad locum ubi administratio facta, & valere hoc quoad rationes reddendas non vero quoad editionem earum *Vid. plur. Dn. Schilt. ad ff. b. t. Schnobel. & Eckolt. eod.* Quod si plures gesserunt pro indiviso, in solidum tenentur, *l. 55. pr. ff. de administr. tutel. & unus eligi potest, l. 6. C. arbitr. tutel.* æquitas tamen svadet beneficium divisionis, quoad eos qui tempore actionis institutæ, solvendo sunt, *l. 1. §. 10. 11. 12. ff. de tut. & rat. distrab.* Si autem unus administravit, beneficium ordinis locum habet, *l. ult. C. de divis. tutel. & is à quo solidum pupillus exegit, habet beneficium cedendarum actionum vid. Schnobel. h. t. tb. 23.* Quod autem actionem de rationibus distrahendis concernit, *vid. iterum Schnobel. eod. tit. tb. 24.* modo hæc, si (1) instituta, actionem tutelæ tollit, *l. 1. §. 21. ff. b. t. & quidem quoad rationes unicè, ne bis consequatur l. 57. ff. d. R. I. (2) convenit cum actione furti, l. 2. §. 1. ff. b. t. cumulativè, non vero electivè, nec obstat l. 53. ff. de R. J. Resp. actiones ex diversis causis orientes, altera alteram non consumit, l. 60. ff. eod. & l. 130. de R. J. (3) specialis est, tutelæ verò actio generalis, *l. 38. ff. pro socio* Prior in duplum, posterior in simplum, *l. 2. §. fin. ff. b. t. l. 55. §. 1. ff. de administr. & peric. tutel.* Prior datur in hæredes, hæc verò non, *l. 1. §. 6. 23. ff. b. t.* Contraria autem actio da-*

D

tur

tur contra pupillum, (nemini enim officium suum damnosum esse debet, l. 7. ff. testam. quemadm. aperiantur) ejusque heredes, l. 3. §. fin. h. t. ad consequendum id, quod ei occasione tutelæ abest, §. 2. Inst. de obligat. qua ex quasi contr. finita tutela l. 1. §. 3. ff. h. t. imò & usuras petere potest pecuniæ impensæ, l. 3. §. 4. ff. h. t. nisi mature sibi solvere potuerit, l. 9. §. 4. 5. de administr. tutor. Quid autem de actione subsidiaria statuendum. Nota, quod quidam statuunt hanc actionem, quæ §. 2. Inst. de Satisd. datur, non amplius esse in usu, & Magistratus conveniri non posse, vid. Ludw. Diff. 3. th. 10. in fin. Treutlerus Volum. 2. Diss. 9. th. penult. lit. E. Dissentit tamen Dn. Struv. Ex. 31. th. 87. Hahn. ad Wesenbec. h. t. n. 1. quodve nullibi hæc actio mutata, & contra Magistratum, si dolus aut culpa ei imputari possit, cautionem idoneam non exegisse, recte instituatur, illicque, non pupillo incumbere probationem, quia hoc facti est, dolum & culpam abfuisse.

CAP. II.

§. I.

Quamvis ob dignitatem, quam Principes merentur de eorum tutelis primavice agere debuissim, confido tamen, à quolibet, qui scopum meum videt, me excusaturum esse. Est itaque tutela æque necessaria in personis illustribus, tam activa, quam passiva, uti in privatis requiritur, licet Principes quoad immunitatem privilegiorum militibus compareantur, tamen sicut milites solum à paganorum, à Commilitonum vero tutela immunes non sunt, ita res sese habet cum Principibus, nisi justas excusandi causas habeant. Passivam quod concernit, ea æque necessaria est, licet Illustres hæ personæ Consiliarios à latere habeant, & indolis virtus elucescat, tamen hæc Electori ac Principi magis relinquenda, quam consiliario, (1) quia persona primario spectatur, secundo provincia, hinc Pupilli Illustres magis Electoribus ac principibus obedientiam præstant, quam Consiliariis, & si Educatio recte facta, omnes subditi florent, quia à Juventute imbuti sunt artibus regnandi, quas Principes scire decet, quibus subditorum salus summa lex est, ne Consiliariis omnem relinquunt curam. (2) Subditi horum nutu magis reguntur quam eorum, qui à Consiliis sunt. (3) Quia post lapsum nemo rebus suis

suis contentus, ut illustres inter Meum & Tuum disputent, facile fieri potest, si non potentem habeant Defensorem, ut succumbant & ipsi cum subditis magnam patiantur ruinam, quæ omnia præcaveri possunt, si hanc pupilli Principis, alius Imperii Princeps in se suscipit tutelam. Patet itaque ex his, non solum necessarium, sed & proficuum esse, Principes impuberes sub alterius potestate esse. Hæc autem Tutela vis & potestas est in Principem Imperii, ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit. Quia hæc definitio in præcedenti capite declarata est, quare crambem bis coctam proponere non ratum duxi, nam, quæ prædicantur de personis privatis ea & de illustribus, ratione paritatis, dici possunt, licet ratione dignitatis differentia sit. Notandum, quod vocabulum Principis variè sumatur, denotetque generaliter & Electores, *vid. Brautlach. Jus Publ. c. 4. v. 10. 11. ut & Pübel de tut. Elect. & Princ. c. 1. v. 6.* qui idem affirmat.

§. 2. Principum autem Tutela itidem, uti J. Civil. triplex est, *conf. Illustr. Rhet. Inst. J. P. libr. 1. tit. 13. §. 1.* Dubitare autem quis posset, an Testamentaria apud Principes locum habeat, ex hoc fundamento, quia per consequentiam tutor rei datur, jam vero *1. Feud. 8. pr.* de bonis feudalibus, uti Marchionatus & Ducatus sunt, Principi disponere prohibitum est, Ergo nequeunt testamento ratione tutelæ, quæ & Principatum respicit, aliquid ordinare. Resp. non valet facta pro lubitu dispositio de rebus quæ circa successionem & alienationem rei feudalis versatur, & conjuncta cum damno Agnatorum, ad quæ tamen ordinatio testamentaria non tendit, sed primario personas, secundario res considerat, imò nec jure prohibita, hinc vestigia Juris civilis manere putat, *Pübel de tutel. Elect. ac Princ. c. 4. n. 5.* non vero in omnibus, nam mater, si tutorem dedit extraneum, videtur ei modo educationem commisisse, non autem administrationem, quæ legitimo competit, nisi justæ causæ aliud velint, neve ad secreta aperienda, ansa detur. *Idem n. 14.* Quæritur autem, an in Jure Publico valeat, sperante tutela testamentaria, cessat legitima. *Schnobelius Dissert. 15. tb. 8.* putat valere hoc in Principibus non Electoribus, horum enim agnati jus quæsitum haberent, quod Testamento auferri non posset, *per A. Bull. tit. 7.* Alii dicunt Principes non habere commercium tutelæ, & extraneo eam committere non posse, quod & nos affirmamus, sed quæstio est, an remotiori agnato deferri queat.

Vid. plur. Dn. Schilt. ad ff. b. t. Huic controversiæ ansam dedit FRI-
DERICUS IV. Elector Palatinus hujus seculi, qui tutelam detulerat
Comiti Palatino Bipontino, excluso fratre Comite Palatino Neo-
burgensi. Hi inter se disputarunt, posterior dixit se esse agnatum,
sibiqve competere tutelam, prior respondit, si non adeset Testa-
mentarius. Ille regerit, hoc valere inter privatas personas, hic vero
præcedentem dedit responsionem. Quod & ad Cæsarem delatum,
qui hoc decidere extra Comitiam convocata noluit, interim mortuo
testatore, testamentarius decreto RUDOLPHI II. Imperatoris,
mens. Jul. 1611. eoqve publicato possessionem apprehendit, lite in-
terim in petitorio pendente. Sed, salvo aliorum iudicio, nos Resp.
Quicquid Imperator non potuit, illud & nos decidere non possumus.
Quod Auream Bullam à Schnobelio citatam attinet, illa
nihil probat: ea enim discribit, quod proximus tutelam gere-
re debeat, eo ipso tamen non excluditur Testamentarius verba, A.
Bullæ hæc sunt: So soll der älteste Brnder des erst gebohrnen
Sohnes Verweser oder Vertreter seyn. *vid. Eckolt. ad ff. de test.
tutel.* Quod vero tutori legitimo jus quæsitum auferri non possit, infir-
mo stat talo. Jure enim Romano, tutor legitimus jus quæsitum
habet, & tamen auferri potest. *Schulzius synopsis. Institut. de legit. tu-
tel.* inquit: Electorem justam ob causam legitimo tutelam testamen-
to auferre posse, consultius tamen esse, si legitimo relinquatur, & illi
honorarii adjungantur, quo pacto LUDOWICUS VI. Elector Pala-
tino fratri suo tres Contutores testamento adjunxit Marchionem
Brandenb. Landgrav. Hassiæ & Ducem Württembergensem, referen-
te *Dn. Schilt. in comm. ad ff. b. t.* Imprimis notabilis est epistola Ele-
ctoris Saxonici & Brandenb. ad LUDOWICUM VI. Electorem Pala-
tinum 1584. 31. Jan. scripta, daß es ein schwer thun seyn würde/
wann die güldene Bulle / indem sie deme nechsten Agnaten die
Vormundschaft aufträget die Meinung haben solte / daß das
durch in dem Churfürstl. Häusern den Eltern dermassen die
Hand geschlossen / daß dieselbe / so gar auch andere mehr Pers-
sonen und Freunde / dazu sie ein sonders Vertrauen haben / im
Testament oder letzten Willen zu verordnen nicht macht haben
soltten.

§. 3. Legitima Principum Tutela quoad bona allodialia, cum
Jure

Jure Civili, eadem observanda habet, quoad feudalia majora uti sunt Ducatus, Marchionatus non æque. Ubi senior succedit, ibi senior, & ubi successionis jure omnes gaudent, ibi cuncti tutelam habent. In quibus vero familiis jus primogenituræ obtinet, & tam quoad successionem, quam Tutelæ administrationem modus determinatus ille regulariter servandus est. Interdum ii qui Principi pupillo nulla consanguinitate conjuncti sunt propter investituram aut impetrationem Expectativæ jus quoddam præ Agnatis sibi acquisiverunt ut in feudo novo, successionis capaces sint, Ergo cum Agnatis ob aliam successionem scil. respectu feudi antiqui tutores existentes simul admittendi videntur Resp. quod non, quia pupillo plus incommodi quam commodi adfert, nisi amplum sit orphani patrimonium. Nonnunquam dantur pacta Confraternitatum, *Erhverbrüderung / Erbvereinigung* / quale factum, referente *Limn. tom. 2. J. Publ. l. 4. c. 8. n. 161.* inter Domum Saxoniam & Hassiacam & postea Domus Brandenburgicæ accessione renovatum *Jd. n. 172.* ut deficientibus masculis heredibus, sive Agnatis unius familiæ, reliquæ alterius habeant successionem. Quod si hic casus, quem Deus clementissimè avertat, contingeret, ut in aliqua Domo omnes usque ad unicum impuberem Principem morerentur tunc tutelæ administratio non ad alium Extraneum perveniret, sed ad eum, qui proximus pupillo mortuo successor extiturus.

§. 4. Quæritur an mater tutrix legitima esse possit? Resp. affirm. modo Scto quo obligari possit, & secundis nuptiis renunciaret, non quasi nuptias inire non deberet, sed si initura sit, quod velit iterum deponere & omittere tutelam, *Eyben. in tract. suo de Tutel. feminea. vid. Dn. Schilt. in prælect. suis ad Illustr. Rhetii Consilarii ELECTORIS BRANDENBURGICI Instit. Jur. Publ. tit. de tutel.* qui dicit, matrem tutricem esse posse quoad statum aulicum pupillorum, seu quoad educationem, qualis matri commissa erat per testamentum BERNHARDI II. Ducis Saxonie, non vero quo ad statum publicum Regiminis *Evolvatur. & die Württembergische Eheveredung / de anno 1673. cum Epistola & responso.* Quid autem statuendum est de hac quæstione an Plebejus Principis tutor esse possit. *Brunnemann. & Carpz. ad l. 10. ff. de test. tutel. referente Dn. Schilt. ad ff. de tutel.* affirmativam statuunt sententiam, dicentes, ra-

tione administrationis inter illustres & privatas personas nullam differentiam esse, sed, Resp. Negando, si gaudent pupilli jure statuum sessionis atque suffragii, cujus plebejus capax non est, sed valet hoc quoad Jus vetus, non vero quoad nostrum, quia forma Imperii mutata est. Quamvis vero hoc nullibi prohibitum sit, tamen ratio Juris & natura rei hoc non permittit, nec probat aliquid, in administratione pupilli multum positum esse, Ergo Plebejus admitti potest Resp. si non apparet ejus incapacitas. Hodie ferè omnes tutores, sive sint privati, sive Principes, *juxta ordinat. Polit. in cap. 1. sæpius citatam de anno 1548. & 1577. Von der Pupillen und minderjährigen Kinder Tutorn und Vormündern/* dativi sunt, ita ut Principes decretum impetrent von Ihrer Keyserl. Majestät und dero Reichs Hoffrath. Ast controversia oritur inter Doctores Juris publici, an hæc ordinatio extendenda sit ad Principes, quidam negant, dicentes, ad privatos solummodo spectare: So wollen allen und ieden Prälaten/ Graffen Herrn etc. hiermit ernstlich auferleget haben/ in ihren Fürstenthümern Vernehmung zu thun/damit ein iedweder verordnet werde/ dicuntque testamentarios tutores confirmandos non esse, *Gail. L. 2. Observ. 107. n. 5.* inquit quod si testamentarii tutores dati, tunc sufficit loco Curatorii exhibere copiam collationatam testamenti, vel aliud legitimum documentum, ex quo Judici constare possit, constituentem Actorem, esse testamentarios tutores. *Mynsingerus Cent. 2. Observat. 37. clarius scribit:* si ex Testamento appareat, ipsum non modo tutorem constitutum à patre, sed etiam administrationem bonorum ei commissam, non est necesse, ut ei à Judice decernatur administratio. *evol. & Lynn. de J. Publ. l. 4. c. 8. n. 17.* imò in Principum Cancellariis nullum vestigium reperitur, quod FRIDERICUS WILHELMUS Elector Saxonie administrator, cum suo contutore Electore Brandenb. & post mortem administratoris, filiis suis tutores legitimi piæ memoriæ, Dux JOHANN. Saxonie & Elector CHRISTIANUS II. & tandem Elector GEORGIUS I. confirmationem in ullo judicio Cæsario desideraverint. Quia autem scriptores Camerales citati, suam mentem potius ad legitimationem ad causam, quam Curiam direxerunt, & exempla adsint, quod tutores etiam testamentarii confirmati fuerint, quo facto, videtur ordinationem quoque citatam cum tempore ad status Imperii extensam

tenfam esse. Quid? Rosenthal n. 64. 65. 66. 69. 70. Jacobus Blum, in suo processu camerale l. 42. n. 15. Et in Chiliade sententiarum Cameral. 1655. num. 34. fol. 39. formulas confirmat. Principum habent. Quidam Doctores putant eos Principes benefacere, qui jus de non appellando non habent, ut confirmationem à Cæsare, vel Camera Imperiali impetrent, si membra imperii sunt, eo enim ipso Majestas Cæsaris promovetur, feudum pupilli facilius acquiritur, interesse pupilli melius promoveri & processus in Camera, sive adhuc sint, sive oriri queant, felicius ad finem perducere, meliusq; personam suam legitimare possunt. Cæterum Magn. Dn. Struv. in observ. Feudal. manuscriptis ad S. J. F. C. X. hæc annotavit: ab Electore & Principibus Saxonis ita observatum fuisse memini, ut Cæsari quidem significata tutela, sive lege sive testamento delata sed confirmatio non petita. Quod si vero ab aliis Principibus, extra territorium suum controversiam cum pupillo habentibus conveniantur, tutorium eos quoq; habere, necessarium esse credimus.

§. 5. Confirmationi præcedit (1) Juramentum, quod hodie ipsi Principes vix præstant, sed eorum nomine Consilarii, qui mandatum sufficiens habere tenentur. (2) Satisdenti, non vero datis fidejussoribus, sed bona Principis pupillo tacite oppignorata esse videntur Pübel citat. Dissert. C. X. v. 54. Inventarium vero non conscribere debent, quia dissipatio non metuenda, ac id facere multis laboribus expositum est. Quidam Vir Prud. de hoc, ita sentit: daß das nach der Keyserlichen Policey-Ordnung Tit. 32. §. 3. fürgeschriebene Inventarium aller und ieder Güter / liegendes und fahrendes / sambt denen Schuld-Brieffen / sich nicht wohl machen läffet / weilten dergleichen in den Registraturen Saal und andern Büchern ausgezeichnet zu finden / daß also nichts davon kan verlohren / oder entwendet werden. Officium Tutorum Principum consistit primario in eo, daß sie die unmündigen zu Fürstl. Tugenden anweisen und recht erziehen / quæ educatio hæc complectitur, ut defuncti sacra sequantur, digna alimenta accipiant & virtutibus Principem decentibus imbuantur, inò in omnibus negotiis suam, ne eorum conditio deterior fiat, interponant autoritatem.

§. 6. Finitur hæc tutela quoad excusationem eodem modo, uti Jure Civili, Pubertate, non æque, sed anno 18. completo in Electoribus per A. Bull. tit. 7. So soll der älteste Bruder des erstgebohrnen

nen Sohnes Verweser und Vertreter seyn / also lang / bis der
älter unter ihnen seine vollkommne Jahre erreicht / die an einen
Churfürsten auf achtzen gantzer Jahr sich erstrecken. Interim
tamen Pupilli Electores veniam ætatis impetrare possunt, uti in do-
mo Electorali Brandenburgica factum, in qua JOACHIMO I. anno
ætatis decimo - sexto non completo Electoratus scepra capesere,
permisum fuit. Licet quidam dubitent, an verba A. Bullæ ad Prin-
cipes extendenda sint, tamen, quia in iis eadem ingenii vis, ut in E-
lectoribus propter Virtutes avitas elucescere solet, etiam decimo-
octavo anno ad administrationem Provinciarum suarum Principes
serenissimos admittendos esse, statuimus. Quod etiam in Landgra-
viatu Hassiæ, Ducatu Brunsvicensi, Principatu Anhaltino obtinet,
dum 18. regiminis capaces esse judicantur. *Vid. Illustr. Rherii Instit. J. Publ. de tutel. Pup. II. Illustr. §. 3.* Breviter cujuslibet Principatus sta-
tuta sunt attendenda, quia pubertas regulariter 14. annis fit, uti in
privatis, intuitu tutelæ & successionis vero inter German. Electoris ac
Principes aliud ordinatum *Id. illustr. Rhetius d. t. §. 3.* Hoc insuper no-
tandum, quod antequam administret princeps pubes Tutor subdi-
tos liberet à præstito juramento, vel oretenus, vel per legatos aut E-
pistolam. An autem tanquam suspecti Principes postulari possint,
affirm. Illustr. Rhet. in suis Inst. J. Publ. cit. sæpius titulo §. 1. cujus ver-
ba sunt hæc. *Quamvis non facile suspecti postulandi sint, pro re nata
tamen, & qua talis ratio illustres decet, suspecti postulari possunt.* Hunc
tamen casum raro fieri credimus, propter summam fidei Principum ac
Electorum præsumtionem ac exuberantiam, quale factum nunquam in
Tutelis serenissimæ Domus Brandenburgicæ contigit *Pubel. c. 14. n. 125.*
Excusare quoque Princeps ob justam causam se possunt, sed raro ho-
die fit, quia tutela in his personis honor est, & familiæ multum sane
interest, ne extraneus aliquis tutela gestioni sese inmiscet, imò legi-
timi testamento datos tutores accusare solent, uti in præcedentibus
adductum.

§. 7. Actiones quæ ex tutela oriuntur, eadem sunt, uti Jure Ci-
vili; idcirco ne actum agere videamur, expositionem reiteratam fu-
gientes, *Benev. Lect. ad cap. 1.* remittimus. Judex competens coram
quo hæ actiones instituuntur est Cæsar. Majestas. Sed pro meliori ad-
ministratione duo constituta judicia sunt AULICUM ET SPIREN-
SE,

SE, quæ duo pro lubitu adire possunt, nisi in uno causa controversa delata & cognitio ejus facta Vid. *Reichs-Hoff-Raths-Ordnung Tit. II. §. So wollen wir auch* &c. quæ Constitutio postmodum confirmata fuit *per Recessum Imperii de anno 1654. §. 166. Ebenmäßsig.* Quod procesum in judicio prosequendum concernit, ille propter causæ connexitatem fieri debet in eodem judicio, *arg. l. 10. C. de Judic. l. 13. C. de R. V. v. gr. ubi possessorium petii, ibi & petitorium petere debeo, ubi possessionem administrandæ tutelæ arripui, ibi & confirmationem petere necessum habeo.* Quæ omnia breviter de tutelis Principum & Electorum dicta sunt nec tempus, nec scopus ea ulterius prosequendi permittit.

CAP. III.

I.

Transimus nunc ad tutelam feudalem, quæ, dicente *Dn. Stryck. Exam. J. Feud. c. 7. qv. 10.* æque quoad divisionem tres species habet. Testamentaria definitur, uti *Cap. I. factum.* Quando filiis suis impuberibus pater tutorem &c. *Filiis*] hic Jus Feudale discrepat à Jure Civili & filii quoque nepotes comprehendunt, *argum. l. penult. ff. de Constit. Princip. Ludw. Disp. 3. Inst. th. 2. lit. d. Dn. Struv. S. J. F. c. 4. a. 12. n. 5. & c. 9. n. 15. Schrad. J. Feud. p. 7. c. 5. n. 3.* dicit, quod vocabulo filii in materia feudali omnes descendentes comprehendantur, secus tamen esse, si quis ea feuda acquisivit, pro se filiisque suis, quæ ad heredes transitoria non sunt, tunc ad hæc feuda, præter filios vasalli feudum acquirentis, neque nepotes, neque deinceps descendentes admittuntur ideo, quia hoc casu pactum à Jure Communi exorbitat, idque strictissime interpretandum *l. 13. ff. de LL. Pater*] hoc nomine & Vasallus continetur, *Dn. Stryck. citat. qu. 11. affirmat.* ideo, quia quoad bona allodialia & feudalialia nusquam illud prohibitum: Nos putamus potius hanc rationem esse, quia tutor datur personæ non rei. Sicut nunc rei dantur per consequentiam & secundo, sic non tam respicimus ad res, quam ad ipsam personam, cui tutor dandus est. *vid. Dn. Frisius in prælect. suis ad Stryck. Exam. J. Feud. qv. cit. 11.* Nihil propterea interest, an tutor ultima voluntate à Vasallo filio impuberi datus, sit vasallus ejusdem Domini sive non, quia

E

hoc

hoc jure cautum non reperitur, siquidem omnes testamento tutores dari possunt, qui dari expresse prohibiti non sunt, tum, quod tutores fieri queant diversæ Jurisdictioni subiecti *l. 32. pr. ff. de testam. tutel.* Quid? ipse Dominus feudi tutor testamento constitui potest, *Schrad. p. 10. sect. 19. n. 1. circ. fin.* Quia autem non excluditur tutor bona administrare, licet à testatore quoad bona allodialia detur, tamen quoad feudalia non prohibetur, nam tutor ad universum patrimonium datus creditur, *§. 17. J. de Excus. tutor. vel curat.* imò unus quoad feudalia recte datur, quia hæc bona distincta sunt, priora subiecta sunt Jurisdictioni judicis ordinarii generalis, posteriora jurisdictioni judicis feudalis. Et legibus cautum, nec non à DD. communiter traditum, quod is, qui habet patrimonia, sive bona distincta & diversis Jurisdictionibus subiecta, filiis suis impuberibus in testamento suo, respectu uniuscujusque patrimonii, certos & diversos tutores dare possit, *l. 15. ff. de testam. tutel. & ibi glosf. Bart. Bald.* Non autem obstat quoad tutoris dationem à Vasallo filio suo impuberi testamento factam *l. Feud. 8. pr.* cujus verba hæc sunt: *Nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente.* Resp. ille textus solummodo locum habet in illa ordinatione quæ respicit successionem feudi & textus de ordinatione respectu successionis feudi ad dispositionem tutelæ testamentariæ extendendus non est. (1) Quia ordinatio tutoris in testamento facta, distincta est à successione, *l. 4. ff. de test. tut.* & sic illatio à diversis non valet. (2) Tutor curam extendit circa personam, non rem *l. 14. ff. de test. tut.* (3) Omnis textus secundum illum titulum, sub quo positus intelligendus est, ac præcedentia & consequentia de materia successionis feudi hic cohærent. *Schrad. p. 10. sect. 19. n. 6. 7. 8. 9. & seqq.* Quæritur autem an testamentarius uti Jure Communi reliquis tutoribus præferatur? Resp. affirmand. *l. 11. ff. de Testam. tutel.* ubi enim contrarium non statuitur, ibi à Jure Civili recedendum non est. Hic matri & avix quoque præfertur, *avib. matr. & av. C. quand. mul. offic. tut. fung.* imò tutori ultima voluntate inutiliter dato, *Borgn. Cavalcan. in tract. de tut. n. 11.* qui posterior legitimo, licet confirmatus à Judice, tamen magis testamentarius est, nam exequimur in his potius testantis quam confirmantis voluntatem, *vid. & l. 3. ff. de conf. tut. vel Curat.* & si dativus magis esset legitimo præferri non posset, imò & matri præfertur *Donell. 3. Comment. 5.* Quæ de his duobus tu-

tori-

toribus testamentariis dicta sunt, etiam in terris Saxonis locum habent, quia ibi nunquam contrarium statutum *Gloss. art. 36. Landrecht libr. 2.* Quoad hoc tamen contrarium tenere videtur *Gloss. artic. 26. vers. Nach unſers Magdeburgischen Rechts / Weichbild* asserens, quod tutela testamentaria non habeat locum in feudis, saepe *Schrad. citat. n. 23.*

§. 2. Deficientibus testamentariis tutoribus, nec matre aut avia existente, aut tutelam recusante, succedunt legitimi, qui sunt ii ad quos successio spectat, *l. 1. pr. ff. de legit. tutor.* & quidem soli agnati, *Schrad. dict. l. n. 34. 2. Feud. II. §. proles de success. frat.* Ergo hi soli sunt successores proximi, ac ii qui iustae aetatis existunt, *Stryck. cit. qv. 19.* & à primo acquirente descendunt *Id. Stryck.* aut simul investiti, hi ratione successionis sunt vasallo impuberi proximiores *Schrad. n. 49.* Hoc tamen valet quoad bona feudalia, non vero allodialia, ibi enim agnati & cognati secundum *Nov. 118.* ut tales indistinctè succedunt, gradus tamen praerogativa observatà. Quod si vero pupillus vasalli simul bona allodialia & feudalia habeat, tunc successores respectu bonorum feudalium, & successores respectu allodialium tutores esse debent, quod & expresse decisum in constitutione Ducum Megapolitanorum sub rubr. *von Vormundschaften §. und darmit in dem keine Versäumnis.* Jure Saxonico si impubes plurimos agnatos aequè proximos habet, onus tutelae non omnibus agnatis, sed seniori defertur *art. 23. ibi Ihr ältester ebenmässiger Schwermagen.* Omnibus autem agnatis & cognatis mater & avia praefertur, & licet ut reliquae foeminae ad successionem feudi non admittantur *1. Feud. 1. §. hoc autem notand. de his qui feud. dar. poss.* tamen tutelam filiorum suorum suscipere possunt respectu affectionis, nam exclusus à successione non statim exclusus est à tutela voluntaria, qualis est matris & aviae *dict. auth. matr. & avia Baldus Conf. 194. libr. 3. Curt. Consil. 66. n. 16.* contrarium statuit, attamen cum hac decisione juris communis convenit constitutio Politica Ducum Megapolensium sub rubr. *Von Vormundschaften §. In Fall auch* / in qua expresse dicitur, quod mater etiam respectu bonorum feudalium filiorum suorum impuberum tutrix legitima esse possit. In terris Saxonis, mater avia non aliter admittuntur, nisi omnibus aliis agnatis deficientibus. *Zobel. in addit. ad specul. Saxon. art. 23. Landrecht libr. 1.*

Quid autem statuendum est, de non existente tutore testamentario, neque legitimo aut matre aut avia deficiente, an Domino feudi vasalli impuberis legitima tutela deferatur. Quidam DD. negant, dicentes, quod tunc tutor dari debeat, qui administrationem habeat bonorum feudaliū, nos autem putamus non, sed instar legitimæ patronorum tutelæ ad Dominum feudi devolvi & valere sententiam negantium, si tutor testamentarius aut legitimus adest: similiter legibus cautum, quod argumentatio bona sit, à liberto ad vasallum, & à patrono ad Dominum feudi *Glossa l. 30. C. d. liber. causa.* Imò quod Dominus feudi, quando vasallus impubes nullos alios habet tutores testamentarios vel legitimos, vasalli sui impuberis respectu feudi tutor sit & esse debeat, Jure Saxonico quoque decisum est. *Cap. 26. §. der Herr ist ja immer Lehnrecht Gloss. artic. 23. verb. Ihr ältester Ebenbürtiger.*

§. 3. Licet quidam restringant hoc valere, si vasallus impubes modo feudalia bona habeat, non allodialia, uti *Job. Faba Instit. de legitim. Patron. tutel. n. 1.* falsam tamen hanc rationem esse arbitramur, & eum, qui Dominus rerum feudaliū, illum vero, qui Dominus allodialium, vasalli impuberis tutorem esse debere, nam quando vasallus plura & diversa habet feuda à plurimis Dominis, unusquisque Dominorum vasalli impuberis tutor sit, respectu illius feudi, quod ipse ab eo Domino tenet, *argum. l. 27. ff. de tutor. & Curat.* Si ergo omnes tutores legitimi deficiunt, tunc alius datur à Domino feudi immediato, cum ordinarii Judicis Jurisdictioni feuda non subsint *Stryck. citat. qv. 22. & Schrad. sep. nomin. n. 83.* inquit: quod vasallus quatenus talis subsit tantum Jurisdictioni Domini feudi, nam alias Pupillo tutor dari nequit, nisi is tantum, cujus Jurisdictioni pupillus subjectus est. Ergo præter Dominum feudi pupillo impuberi tutorem nemo dare potest. Quodque quoad Jus Saxonicum locum habere tradit *Wesenbec. cons. 35. n. 4. libr. 1.* An autem hic tutor datus, datus sit quoad bona allodialia & feudalia simul, inter DD. controversia est *Dn. Stryck. quest. 23.* Negat, quod Judex ordinarius generalis, sive Judex allodialis vasallo impuberi respectu feudi, & Judex feudi respectu bonorum allodialium tutorem dare nequeat, nisi Dominus feudi simul Jurisdictionem rei allodialis habeat, nam, quando Dominus feudi, Jurisdictionem feudalem & generalem habet, &

NON

non Dominus feudi, sed etiam Dominus territorii, is inter vafallos & Jurisdictionem exercere, & de lite mota inter vafallos cognoscere potest, non tantum respectu bonorum feudalium, sed etiam respectu bonorum allodialium *per Schrad. ibi cit. p. 10. sect. 19. n. 89.* Ipsi administrationi quæ antecedant, quæ circa eam observanda sint ac sequantur de iis fusius in *cap. 1. actum.* Et sicut in allodialibus bona tutoris pupillo tacite hypothecata sunt, ita & in feudalibus *Dn. Struv. S. J. F. c. 14. apb. 27.* tacitam hypothecam, uti J. Civili ad feudalia non pertinere ait (hoc tamen Autorem intelligere putamus ex parte vafalli non vero Domini directi,) quia absque Domini consensu nulla hypotheca valet, *Idem c. 13. apb. 7.* præsertim jure Longobardico. Jure tamen Electorali ordinatum esse, Autor inquit *apb. 27. n. 3.* quod bona feudalia tutoris, à Domino feudi constituti sint pupillo oppignorata, (posito quod allodialia ejus non sufficiant) quasi per constitutionem tutoris in illam hypothecam consenserit. Imò secundum idem Jus ex fructibus & pretio feudi, illis qui tacitam hypothecam habent satis fit, pertinent enim fructus ad vafallum Jure Domini pleni, & constat, fructos ex feudo perceptos, rem feudalem non esse, sed allodiam, quæ merito hypothecæ tacitæ subjiciuntur. Finitur tutela, uti Jure Communi, nam strenuus Jurisperitus, sicubi casus emerferit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumniâ uti poterit lege scripta 2. *Feud. 1.* Jure Saxonico feudali is pubes dicitur, qui 13. annum & 6. hebdomadas excessit. *Lehnrecht c. 26. in pr.* Excusationem quod concernit, illa fieri debet coram Domino feudi, ipse vero Dominus coram paribus Curia, sive coram sua curia, servatis servandis, intra tempus legitimum excusationem suam proponere debet. Nam indubitati juris est, quod controversia mota, inter Dominum & Vafallum de feudo, vel de iis quæ de feudo dependent aut originem trahunt, soli Pares Curia cognoscant, modo hi apti sint ad hanc cognitionem; secus autem si is Dominus feudi, vel nullos vel inhabiles ad hanc cognitionem Pares Curia habeat, tunc hic excusationem suam à tutela coram Domino feudo superiori, sive mediato, si is ratione feudi, quod vafallus impubes possidet, adfit, vel illo non existente, coram Judice ordinario generali proponere & deducere debet, atque eo casu in locum Domini feudi excusati vel Dominus feudi mediatus, vel etiam ordinarius Generalis, si coram

eo excusatio proposita deducta & obtenta fuit, vasallo impuberi alium tutorem dare debet, in iis tamen casibus, in quibus is Dominus feudi, cui delata tutela ipso jure ab onere immunis est *juxta Bald. à Schraderò citatum*, putat tamen ipse Schraderus Dominum feudi tutores dare posse. Hæc sunt quæ de privatorum *Principum* ac *Nobilium* tutelis dicere volui, & quia prolixitate non delector, nec instituti mei ratio ulterius progredi permittit, hinc pedem figo, D. O. M. pro hujus laboris directione, gratias ago immortales, qui, sicuti hic, ita & porro actionibus meis adesse velit, humillimis precibus contendo.

F I N I S.

Corollaria.

I.

1. Pupillus & impubes interdum differunt.
2. Licet pupilli in sacris comparentur servis, tamen sui juris sunt.
3. Pupillus sui juris est, licet in potestate tutoris sit.
4. Filii nepotes in materia tutelari J. C. non comprehendunt, nec lex 846 de V. S. obstat.
5. Tutor non debet prestare casum reprobationis moneta.
6. Tutor non tenetur prestare periculum nominum ab ipso contractorum.
7. Princeps destitutus bonis immobilibus juratoriam cautionem prestare debet.
8. Educatio Principis animam & corpus respicit.
9. Tutores illustres jurant vel ipsi, vel per Legatos.
10. Principes salarium intendum accipere possunt.
11. Elector curam suscipere tenetur.
12. Princeps majorennis tutoribus Principibus ac tutoribus consiliariis quietantiam dare obligatus est.
13. Tutor pupilli sui nomine potest juramentum fidelitatis sine mandato prestare.
14. Tutor testamentarius, à Judice admonitus, intra annum negligens, in agnoscenda tutela legatum & fideicommissum à testatore relictum amittit.

15. Tu-

15. Tutor qui justo tempore excusationem suam proposuit, succumbens;
periculo tutela subiectus est à die scientiæ, non vero à die late sen-
tentia.
16. Infans tutore auctore feudum accipere potest.
17. Infantia aut pubertati proximus sine tutore feudum acquirit.

Quem doctis sopheriæ videt impallescere chartis,
illum de cathedra nostra Salana probat.

G. SCHVBARTVS, P. P.
h. t. RECTOR.

Griphus inest verbo; Sic crescas arbor amænum
ad rivum plantata. Tibi despondet agona
Salais eximium, pugnas victricibus armis.
Sic meritis nostræ spolia ampla parata cathedræ
accipies! tectis sæpè insunt Omnia griphis.

*Præ-Eximio Domino Auctori
amicâ m. & m. animitus
gratul.*

Johann-Volk. Bechmann/D.
& Præses.

Sedulius expectat fructus sudoris arator;
Ex sudore Tuo, sic Tibi surget honos.

*Nob. Dn. Auctori, Auditori suo impigro
& amico honoratissimo grat.
appos.*

Joh. Bernhardus Friesse/
Phil, & U. J. D. Præf. Jen.

Hoc

QUART 48 40
Hocce tuo foetu, quem monstras hisce pagellis
Ingenii poteris dulce parare decus.

*Hisce Nobilissimo ac clarè docto
Dn. Respondenti, Amico ac Autori suo Con-
stantissimo gratulatur*

**Joh. Christoph. Hartung/
Phil. & J. U. D.**

Exforbent alii vinò spumantia vitra,
Turpia queis Veneri sic alimenta parant.
Ast Tu, BOMBACHI. tufarum è fonte levare
Vsque sitim (monstrat pagina docta) soles,

*In tesseram sinceri affectus testari
ita voluit*

J. R. ILGEN.

Specimen hoc loquitur, te non tribuisse Vacunæ
Horas, hinc volitas docta per ora virum.
Dum de tutelâ valida sit cura suprema
Hanc bene claranti grator amice tibi.

*Hæc in devicti animi obsequium Dn. Con-
tubernali suo & Amico gratulaturus
addere voluit*

J. Sam. Holzmüller.

Hicce elegans foetus monstrat quod nulla ruina
Ingenio fuerit, dulcis amice tuo,

*Hæc amico in Schola peste & Academiâ constantis.
benevolè apposuit*

MICHAEL Wildberg.

ERRATA.

C. I. §. 9. lin. 13. pro ne, ut legatur. §. 18. lin. 29. pro hi enim, qui,
& lin. 35. pro enim, vero, reliqua corrigat B. L.

107
nc.

